

Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Reg.

A. L. X.

Viterbii 1781 dum me
altissima nix ab itinere de-
terrebat- gran. —— 120

DE ROMANA GENTE ET URBE.

B. C. D.

PRÆMONITA.

§. 1.

QUicunque vel ad aliquam inter *Romanos* eloquentiæ facultatem adſpirant, vel ſeculorum hiſtoriam ſolidè intelligere laborant, vel inter Gentes politiores nomen eruditorum jure ambiunt, vel denique *Romanum* orbem cum uſu ſpectare cupiunt, *Romanæ Gentis & urbis Antiquitates* callere debent accuratiſſimè. Id quod demonſtratu eſſet perfacile, niſi inſtituti noſtri ratio prohiberet.

§. 2. Ut itaque N.N. Dn.Dn. noſtris Auditoribus, *Antiquitatum Cultoribus*

ingenuis, maximè ſcitu neceſſaria in lectionibus tam publicis quàm privatis explanare poſſemus, rudem quendam illuſtriorum *Antiquitatum* apparatum, ſaltem quoad exteriorem Nomenclaturam brevi quaſi tabellâ delibare voluimus, ut facem ad altiora ulterioráque ſtudia tendentibus accenderemus.

§. 3. Methodus *Compendii* noſtri erit talis.

I. Præmittetur parte primâ ſuccincta priſcæ Romanæ gentis & urbis facies.

II. Et parte ſecundâ Romanorum ipſorum mores & inſtituta commemorabuntur.

PARS I.

PARS I.
De Romana Gente & Urbe.
CAP. I.
De Gente Romana.

§. 1.

ROmanorum historia plurimis Poëtarum figmentis immixta variè relata legitur. Imprimis quoad primos natales mirum immodum evagatur, sed missis plurimis traditionum ambagibus notiorem eligemus sententiam.

§. 2. *Romani* primam gentis suæ originem ab *Ænea* Veneris & Anchisæ filiô, Duce Trojanô ducunt. Nam ab Ascaniô *Æneæ* hujus filio Sylvius Rex Albanorum natus est, à quo ad *Romulum* usque 14. Regibus in urbe Alba imperatum est.

§. 3. *Procas* deinde *Sylvius*, ab Ænea decimus tertius Albanorum Rex

duos filios, *Numitorem* atque *Amulium* procreavit.

§. 4. Illius (sc. Numitoris) filia Rhea Sylvia ex Marte gravida *Romulum Rhemumque* fratres uno dedit partu, qui postea adulti gentem condebant *Romanam*.

CAP. II.

De Urbe Româ.

§. I.

ROma urbs orbis quondam Domina non perfunctoriè expendi meretur, cùm ex hac lux clarior historiæ rebusque Romanis affulgeat. (*Præmonit §. I.*)

§. 2. *Notatu digna sunt in hac urbe,* Situs, Conditæ urbis tempus, Conditores, Magnitudo circui-

circuitus, Divisio, Templa, Luci, Portæ, Viæ, Vici, Campi, Fora, Fluvii, Insula Tiberina, Bibliothecæ, Lupercal, Lacus Curtii, Rupes Tarpeja, Vallis Ægeriæ, Jani quadrifrontes, Arcus triumphales, Lapis manalis, Colossi, Meta sudans, Columnæ, Statuæ, Obelisci, Odéa, Senacula, Naumachiæ, Septa s. Ovilia, Numphéa, Septizonium, Porticus, Pistrina, Tabernæ, Mausoléa, Stadia, Domi, Insulæ, Cloacæ, Græcostasis, Horrea, Comitium, Theatra, Amphitheatra,

phitheatra, Circi, Thermæ, Curiæ, Roſtra, Baſilicæ, Capitolium, Aquæ ductus &c. &c.

DE ROMANORUM MORIBUS ET INSTITUTIS.

I. SECTIO SUB STATU ECCLESIASTICO.

PARS II.

De Romanorum moribus & institutis antiquis.

PRÆMONITA.

§. 1.

PRiſcorum Romanorum mores & inſtituta quadruplici ſub ſtatu commodè contemplari poſſumus. Nempe

I. Sub ECCLESIASTICO.
II. Sub CIVILI.
III. Sub MILITARI.
IV. Sub OECONOMICO.

§. 2. Quid in ſingulis moris fuerit *Romanis*, ordine videbimus.

PARTIS SECUNDÆ SECTIO I.

De Romanorum antiquo ſtatu Eccleſiaſtico.

CAP. I.

De Quæſtione, CUI ritus & mores ſacros Romani præſtiterint?

§. 1.

§. 1.

DE Romanorum *ritibus Ecclesiasticis* quæritur

I. CUI?

II. A QUIBUS PERSONIS?

III. QUO TEMPORE?

IV. QUA IN RE?

V. QUO IN LOCO exhibiti fuerint?

§. 2. Ad quæstionem, CUI sint exhibiti, respondemus: *Diis Deabusque Gentilium.*

§. 3. Deorum atque Dearum numerus variè divisus legitur: primò in *Deos majorum minorumque gentium*, atque illi iterum in *Consentes & Selectos* s. Deos populares, hi. a. in *Indigetes, Semones* & *Rusticanos.*

§. 4. *Consentes* his commemorat versibus Ennius:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana,
Venus, Mars,
Mercurius, Jupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

§. 5.

§. 5. *Selecti* s. populares sunt, *Janus, Saturnus, Genius, Sol, Orcus* s. *Pluto, Liberpater Bacchus, Tellus, Luna.*

§. 6. *Dii minorum gentium* (ut dictum) in *Indigetes Semones & Rusticanos* dividuntur.

§. 7. *Indigetes* sunt: ut *Hercules Æsculapius, Quirinus, Castor & Pollux &c.*

§. 8. *Semones*: ut *Vertumnus, Priapus, Ganymedes, Hippona &c.*

§. 9. *Rusticani*: ut *Satyri, Sileni, Nymphæ, Fauni, Tritones* & supremus omnium *Pan.*

§. 10. Alii quoque Dii Miscellanei erant Romanis: ut *Ajus Locutius, Cloacina, Pavor & Pallor, Febris, Tempestas, Rediculus* s. *Ridiculus, Vicepota, Fornax, Fugia, Cacia, Osiris & Serapis, Isis, Sanctus vel Deus Fidius &c.*

CAP. II.

De Quæstione, à quibus personis ritus & mores sacri Romani observati?

§. 1.

§. 1.

P*Ersonæ* ritibus & institutis sacris observandis præpositæ *Sacerdotes* fuere cum *Ministris.*

§. 2. *Sacerdotum* apud Romanos infinita prope erat & multitudo & varietas. Erant enim, qui *Deorum omnium*, erant, qui *singulorum* sacra curabant.

§. 3. Deorum omnium sacris faciundis præerant *Pontifices*, quorum Princeps *Pontifex Maximus.*

§. 4. Singulorum Deorum sacra reliqui omnes curabant: ut *Rex sacrificulus* s. Rex sacrorum, *Arvales, Curiones, Fetiales* s. Feciales, *Potitii* s. Pinarii, *Luperci, Sodales, Titienses* s. Titii, *Flamines, Salii, Epulones, Vestales, Sacerdotes Matris Deûm, Sacerdotes bonæ Deæ, Duûmviri, Decemviri* & tandem *Quindecimviri sacris faciundis* &c.

§. 5. Fuerunt præterea *Augures*, qui Auspiciorum, & *Exstispices* s. *Haru-*

spices, qui Extorum inspiciendorum curam gerebant.

§. 6. Illis sacerdotibus varii aderant *Ministri* (§. 1. Cap. 2. Sect. I.) ut *Camilli & Camillæ, Flaminii & Flaminiæ, Designatores, Curatores, Ædituí, Cultrarii, Victimarii, Popæ, Præciæ, Tibicines, Tubicines s. Ludii, Vespillones &c.*

CAP. III.

De Quæstione, quo tempore ritus & mores sacri antiq. observati?

§. 1.

CUrarum sacrarum quasi pars erat recta ordinatio *temporis*, id quod à Pontificibus & Sacerdotibus in varias plerumque divisum est partes.

§. 2. Summa *Temporum* divisio erat in

I. DIES.
II. MENSES.
III. ANNOS,
IV. LUSTRA &
V. SECULA.

§. 3.

§. 3. Divisio *Dierum* duplex notanda: ac prima quidem fuit *Naturalium* & *Civilium*.

§. 4. *Naturales* æstate longiores, hyeme contractiores à Sole oriente ad occidentem horis duodecim finiebantur.

§. 5. *Civiles* à mediâ nocte incipientes, & in mediam noctem alteram insequentem desinentes spatium viginti quatuor horarum complectebantur.

§. 6. Divisio *dierum* altera fuit

I. FESTORUM.

II. PROFESTORUM.

III. INTERCISORUM.

§. 7. *Festi* erant, qui cultui divino dicati *Ferias* quoque in sese continebant.

§. 8. Ad Festa s. Dies festos numerantur *Supplicationes*, *Festum Jani*, *Saturni*, *Jovis*, *Martis*, *Mercurii*, *Vulcani*, *Plutonis*, *Bacchi*, *Telluris*, *Her-*

culis,

culis, Dianæ, Veneris, Bellonæ, Vestæ, Junonis, Annæ perennæ, Cerealia, Laralia, Faunalia, Quirinalia, Terminalia, Palilia, Nudipedalia, Paganalia, Curialia, Municipalia, Lectisternium, Novendiale sacrum, Amburbium &c.

§. 9. *Feriæ* (Pars II. Sect. I. cap. 3. §. 8.) erant *statæ, s. stativæ, conceptivæ, imperativæ, Nundinæ &c.* quæ publicæ dictæ ad differentiam privatarum, quarum aliæ familiarum propriæ: ut *Claudiæ, Corneliæ, &c.* aliæ personarum: ut *dies natales* & aliæ id genus.

§. 10. Ad dies *Festos* etiam refertur cura *Ludorum*; ut Circensium, Scenicorum &c. sed de his infra Part. 2. Sect. 2. Cap. VI.

§. 11. Ut festorum ita & *Profestorum* genus fuit multiplex: ut *Fasti, Nefasti, Comitiales Comperendini, Stati, Præliares, &c.*

§. 12.

§. 12. *Dies intercisi* erant, quorum pars cultui divino, parsque communi hominum usui tribuebatur.

§. 13. Ut ex horis dies, ita ex diebus collectis *Menses* anni partes efficiuntur: ut *Januarius*, *Februarius*, *Martius*, *Aprilis*, *Majus*, *Junius*, *Quintilis s. Julius*, *Sextilis s. Augustus*, *September*, *October*, *November s. Exuberatorius*, *December s. Amazonius*.

§. 14. Mensis divisio facta est in *Calendas*, *Nonas* & *Idus*.

§. 15. *Annum* fecerat primitus Romulus 10. Mensium, Numa duobns Mensibus adjectis eundem ad dies 354. produxerat. *Annos* C. J. Cæsar denique 365. dierum instituit.

§. 17. *Lustrum* est quinquennium: ita tamen, ut quadrienniô exactô quintô quoque annô ineunte *Lustrum* peractū intelligatur.

§. 18. *Seculum* restat, quod secundum

Varro-

Varronem fuit 100. & secundum Verrium Flaccum 110. annorum tempus.

CAP. IV.

De Quaestione, qua in re antiqui Romani suos ritus sacros observaverint?

§. 1.

Ritus sacri in *Cultu* Deorum Dearumque Gentilium, ut & in *Legibus* & *Ludis* sacris Rom. notandi imprimis veniunt.

§. 2. *Cultûs Romani* mores & ritus sacri tam varii & multiplices, ut omnes & singulos commemorare nimium foret prolixum.

§. 3. Praecipuos tantummodo notissimosque *sacrificiorum* ritus in Romanorum cultu divino recensebimus, qui pertinebant

1. *vel ad sacrificantes.*
2. *vel ad ipsum sacrificandi actum.*
3. *vel ad sacrificia ipsa oblata.*

I, RITUS

I. RITUS SACRIFICANTIUM.

§. 4. Sacrificantium ritus communes erant:

1. *Puris vestibus & puris manibus accedere.*
2. *Non esse animô ægrô ac suspensô ob fata instantia.*
3. *Liberum esse à somniis importunis ac tristibus.*
4. *Abstinere à Venereis.*
5. *Esse solutâ veste, passô capillô, & nudis pedibus. &c.*

II. RITUS IN IPSO SACRIFICANDI ACTU.

§. 5. In ipso sacrificandi actu

1. *Exornabant aras.*
2. *Ignem in altari incendebant.*
3. *Victimas adducebant.*
4. *Injungebatur silentium cum ablegatione profanorum.*
5. *Manu aram prensabant.*
6. *Preces fundebantur.*
7. *Tibicines intercinebant.*

8. Im-

8. *Immolatio à Sacerdote peragebatur frugibus aut molâ salsâ.*

9. *Delibabant lac, mel, mulsum, vinum &c.*

10. *Victimæ singularibus quibusdam ceremoniis percutiebantur.*

11. *Sanguis victimarum excipiebatur.*

12. *Occisa animalia decoriata dissecabantur.*

13. *Exta interna inspiciebantur.*

14. *Sacrificantibus oblatarum victimarum partes dissectæ à ministris porrigebantur.*

15. *Comburebatur, id quod Diis erat tributum, reliquiæ pro Epulis sacrificalibus apponebantur, decantatis Deorum Dearumque laudibus.*

III. RITUS AD SACRIFICIA IPSA.

§. 7. Ritus ad sacrificia ipsa, quæ modò *Victimæ*, modò *Hostiæ* à quibusdam promiscuè appellabantur, pertinentes requirebant, ut hostiæ essent

1. Gre-

1. Gregales non feræ;

2. Electæ & eximiæ.

3. Ornatæ s. coronatæ.

§. 7. Hostiæ ipsæ dicebantur variè scil. *Ambarvales, Amburbales, Bidentes, Præcidaneæ, Succidaneæ &c.*

§. 8. Non *pecudes* solùm in sacrificiis, sed & *Thus, Vinum, Lac, Far tostum, Sal &c.* offerebantur.

§. 9. Victimæ pro qualitate Numinis dabantur: maxima enim differentia erat adhibenda inter ea Sacrificia, quæ vel Diis superis, vel inferis fiebant.

§. 10. *Lustrationes* denique, licèt à Sacrificiorum cultu diversæ, huc aliquo modô referri possunt. Quæ vel *urbium*, vel *agrorum*, vel *hominum* à scelere s. calamitate quadam purgandorum causâ erant institutæ.

§. 11. Sacrificiorum instrumenta & vasa præcipua erant *Acerra & Thuribulum, Sympulum s. Sympurium, Capis, Capides*

pides & Capedines, Pateræ s. Patellæ, Secespita, Clunaclum, Lanx, Anclabria s. Enclabria, Aquiminarium s. Aquamanarium vas lustrale, Aspersorium s. Aspergillum, Præfericulum, &c.

§. 12. Formulas quoque solennes in sacris adhibere soliti: ut *Favete linguis! Hoc age! Procul hinc, procul este profani! Accipe libens! sive Divus sive Dea es! Quisquis es, des veniam! Populo Romano pacem, Quiritibusque! Quæ res bene vertat!* &c. &c.

§. 13. *Leges* & *Ludos* ad sacra spectantes videbimus infra Part. 2. Sect. 2. Cap. 2. & Cap. 6. confer. Part. 2. Sect. 1. Cap. 4. §. 1.

CAP. V.

De Quæstione, quo in loco ritus antiquorum Romanorum sacri fuerint observati.

§. 1.

§. 1.

NOmina *Locorum*, in quibus sacri ritus exhibiti, vocantur *Templum. Fanum, Delubrum, Sacellum, Ædes sacræ, Lucus, Sacrarium, Scrobiculus, Ara, Altare, Focus, Lararia, Simulacra templorum s. Armaria.*

§. 2. Præter *Fana, Delubra, Sacella* &c. fere innumera numerabantur 424. *Templa*, in quibus condendis & locandis diligens commendatur Augurum industria.

§. 3. Præcipua loca sacra erant *Templum Junonis, Dianæ, Fanum Veneris Genitricis, Templum Martis, Ædes Mercurii duæ, Templum Jovis Statoris, Jovis Capitolini s. Capitolium,* (cujus pars aliqua erat *Templum Jovis Tonantis,*) *Templum Jovis ultoris s. Pantheon, Templum Neptuni, Vulcani, Apollinis, Jani, Saturni, Ædes Solis & Lunæ, Orci s. Plutonis, Liberi Patris, Fana Telluris, Ædes*

Her-

Herculis plurimæ, Templum Æſculapii, Quirini, Vertumni, Caſtoris & Pollucis, Iſidis, Serapidis &c.&c.&c.

§. 4. Templa tribus plerumque conſtabant partibus, nempè *Cellâ ſanctiore, Baſilicâ ſ. Carinâ & Pronaô.* His adde *Piſcinam, Zothecam, Culinam, Pulvinar, Porticum, Cellulas Ædituorum* &c. quæ omnia ad uſum Templorum pertinebant.

§. 5. Cæterum loca illa ſacra non omnibus divis promiſcuè eodem in locô, eâdemque formâ ædificabantur: aliam enim ſtructuram *Divi Superi*, aliam *Inferi*, aliam *Terreſtres*, &c. poſtulabant.

SECTIO II.

De antiquo Romanorum ſtatu civili.

CAP. I.

De *Perſonis in genere*, quæ *ritibus Civilibus* ſunt uſi.

§. 1.

ANtiquorum ROMANORUM *ritus Civiles* commodè videre possumus

I. tum in *Personis*, quæ iisdem sunt usi,

II. tum in variis *rerum circumstantiis*, in quibus ritus illi observati.

§. 2. Personæ generaliter consideratæ sunt *Populus Romanus*, specialiter autem *Magistratus Romanus* unà cũm *subditis*.

§. 3. In Populô Romanô præcipuæ quædam *Divisiones* notandæ; aliis enim atque aliis temporibus Pop. Romanus variè dividebatur.

§. 4. Primò quidem in *Senatores* s. Patres, *Patritios* s. Patronos, *Plebejos* s. Clientes.

II. In *Tribus, Curias, Classes & Centurias*.

III. In tres Ordines, *Senatorium*, *Equestrem*, *Popularem* s. *Plebejum*.

IV.

IV. In *Nobiles*, *Novos* & *Ignobiles*.
V. In *Optimates* & *Populares*.
VI. In *Libertos*, *Libertinos* & *Ingenuos*.

CAP. II.

De Perſonis in ſpecie, quæ Ritus Civiles obſervaverint.

§. 1.

PErſonæ ſpecialiter conſideratæ fuerunt *Magiſtratus Romani unà cum Subditis*, qui omnes ritibus Civilibus obſervandis adſtricti tenebantur.

§. 2. Romanorum Magiſtratuum non una eademque fuit ratio:

I. alii enim dicebantur *Urbani*.
II. alii *Provinciales*.

§. 3. Urbanorum Magiſtratuum alii erant *Majores*, alii *Minores*. Utrorumq;

I. alii iterum *Ordinarii*,
II. alii *Extraordinarii* appellabantur.

MAGISTRATUS MAJORES ORDINARII.

§. 4. Magiſtratus majores Ordinarii erant: *Rex Præfectus* vel *Trib. Celerum, Conſules, Cenſores, Prætores, Imperatores, Cæſares Auguſti* donati tribunitiâ poteſtate, *Nobiliſſimi Cæſares ſ. Principes Juventutis, Præfectus urbis.*

MAGISTRATUS MINORES ORDINARII.

§. 5. Magiſtratus minores Ordinarii: ut *Quæſtores urbani aut ærarii, Trib. Plebis, Ædiles Plebis, Ædiles Cereales, Ædiles Curules, Curatores tribuum omnium, Triumviri Capitales, Triumviri monetales, Triumviri valetudinis, Triumviri nocturni, Quatuorviri viarum, Quinqueviricis & uls Tiberim, Decemviri & Centumviri litibus dijudicandis* &c.

MAGISTRATUS MAJORES EXTRAORDINARII.

§. 6. Magiſtratus majores Extraordina:

narii: ut *Præfecti urbis* abſente Magiſtratu Ordinariô, *Dictatores, Interreges, Magiſtri Equitum, Decemviri* conſulari poteſtate, *Tribuni militum* conſulari poteſtate, *Triumviri Reipublicæ conſtituendæ.*

MAGISTRATUS MINORES EXTRAORDINARII.

§. 7. Magiſtratus minores Extraordinarii: ut *Duûmviri perduellionis, Quæſtores parricidii ſ. rerum capitalium, Præfecti annonæ, Duûmviri navales, Triumviri legendi Senatûs, Quinqueviri Menſarii* &c.

PROVINCIALES MAGISTRATUS.

§. 8. Provinciales Magiſtratus (P. 1. Sect. 2. c. §. 2.) erant: ut *Proconſules, Proprætores, Legati Proconſulum, Legati Proprætorum; Quæſtores Provinciales & Proquæſtores, Præfectus Ægypti, Præfecti Præfecturarum, Quatuor Conſulares, Triumviri, Quinqueviri, Septem-*

viri & Decemviri coloniæ deducendæ, Quinqueviri, Septemviri, Vigintiviri agris dandis f. tribuendis, Quinqueviri f. Quindecimviri agrorum metiendorum &c.

MAGISTRATUUM MINISTRI.

§. 9. Magistratibus illis ad exequenda imperia varii aderant & apparebant Ministri, ut: *Scribæ, Apparitores, Accensi, Interpretes, Lictores, Præcones, Viatores, Servi publici, Carnifex.* Imò ut major esset splendor dignitatis, insignibus quibusdam à privatis distincti incedebant; ut *Togâ prætextâ, Fascibus & Securibus.*

§. 10 Sed non Magistratus solùm verùm etiam *Subditi* (Part. 2. Sect. 2. cap. 2. §. 1.) unà cum Magistratu Romano ritibus Civilibus observandis erant adstricti.

§. 11. Subditis annumeramus *Cives Romanos*, cum ipsis ita dictis *Coloniis*,

Muni-

Municipiis, Præfecturis Provinciis, Civitatibus fœderatis, &c. &c. &c.

CIVES ROMANI.

§. 12. *Cives Romani* dicuntur, qui domicilium, qui tribum, qui bonorum poteſtatem, & jus petendi honores poſſidebant.

§. 13. *Libertas* Civium Romanorum quinque conſtabat partibus: ita enim liberi erant Cives Romani, ut

I. *nec Dominorum poteſtati;*
II. *nec Tyrannorum imperio;*
III. *nec Magiſtratuum potentiæ;*
IV. *nec Creditorum Libidini;*
V. *nec Civium ſuorum gratiæ eſſent obnoxii.*

COLONIÆ.

§. 14. *Coloniæ* oppida fuerunt, quò populus Rom. cives ſuos ad incolendum deduxit.

§. 15. *Coloniarum* genus exſtitit duplex;

I. primum *Latinarum*,

II. secundum *Romanarum*.

§. 16. *Latinæ Coloniæ* jus Latii s. Latinitatis acceperunt; *Romanæ* verò privato civium Romanorum jure usi sunt. Harum *Coloniarum* quædam, si militibus veteranis tanquam militiæ præmia assignarentur, dicebantur *Militares*.

§. 17. *Coloniarum* harum nomina sunt: ut *Cænina*, *Antennæ*, *Crustumenum*, *Medullia*, *Cameria*, *Fidenæ*, *Ostia*, *Signia*, *Circeji*, *Ecetræ*, *Velitræ*, *Norba*, *Antium*, *Ardea*, *Vitellia* &c. &c.

MUNICIPIA.

§. 18. *Municipia* nominârunt oppida jure civium Romanorum donata.

§. 19. Ut Coloniarum, ita & *Municipiorum* duo fuisse genera comperimus.

I. Unum genus Municipiorum erat, quibus Cives Romani eâ essent conditione, ut nec suffragia ferrent, nec Magistratus caperent, sed

ſed munus tantùm obirent honorarium, i.e. honoris causâ in legione ſtipendia facerent, ut Cives non ut Socii, in auxiliis.

II. Alterum genus fuit eorum, quibus unà cum legione data ſunt civitas, cæteraque Romanorum jura ſolô domicilii jure exceptô.

§. 20. Municipia fuerunt multa: ut *Cæritum*, *Tuſculanorum*, *Lanuvinorum*, *Aricinorum*, *Nomentanorum*, *Pedanorum*, *Fundanorum*, *Formianorum* &c.

PRÆFECTURÆ.

§. 21. Præfecturæ dicuntur tales Civitates, quæ poſtquam fidem Populo Rom. ſemel datam fefellerant, ſub poteſtatem iterum redigebantur, atq; à quibusdam *Præfectis*, qui ſæpius pro arbitriô jus dicebant, regebantur.

§. 22. *Præfecturarum* duo itentidem erant genera,

I. Unum in quas *Præfecti* ibant à populo Rom. creati; II. al-

II. alterum in quas, quas Prætor urbanus miserat, proficiscebantur.

§. 23. Exempla Civitatum in *Præfecturæ* formulam redactarum nobis præbent *Cumæ, Anagnia, Frusino, Reate, Picenus* &c. &c.

PROVINCIÆ.

§. 24. *Provinciæ* etymon variè apud populum Rom. sumebatur. Nos autem hôc locô *Provinciam* definimus esse regionem aut armis devictam, aut quocunque modô in potestatem populi Rom. adductam, quæ jure *provinciali* utebatur, licèt non omnis sive *Provinciæ*, sive *Provinciæ* civitates idem jus consequerentur.

§. 25. Tales *Provinciæ* fuerunt *Italia, Gallia, Hispania, Sicilia, Sardinia, Corsica, Illyricum, Macedonia, Achaia, Asia,* &c. *Rhætia, Noricum, Pannonia, Mæsia, Dacia. Britannia,* &c, &c.

FOE-

FOEDERATÆ CIVITATES.

§. 26. *Fœderatæ Civitates* fuerunt neq; Coloniæ, neque Municipia, neque Præfecturæ, quæ quidem ex fœdere aliquid populo Rom debuerunt, in cæteris verò liberæ vivebant: ut *Capua*, &c.

§. 27. Atque hæc hactenus de *Personis*, (P. 2. Sect. 2. cap. 1. §. 1.) quæ ritus Civiles apud priscos Romanos observare sanctè debebant.

CAP. II.

De variis rerum circumstantiis, in quibus ritus Civiles observati, & quidem primò de Legibus Roman.

§. 1.

Circumstantiæ rituum Civilium variæ imprimis notandæ veniunt.

I. *In ROMAN. LEGIBUS*,

II. *JUDICIIS*,

III. *ÆRARIO*,

IV. *COMITIIS &*

V. *LUDIS*

§. 2. *Lex s. Jus* (quæ vocabula ſæpe pro Synonymis uſurpantur) triplex eſt,

1. Divinum,
2. Naturale &
3. Humanum ſ. Civile.

§. 3. De divino & naturali jure agendi locus jam non erit, ad Civile autem Roman. jus referimus quasdam ejusdem quaſi partes ſive ſpecies: ut

1. Leges,
2. Plebiſcita,
3. Senatus conſulta,
4. Placita Principum,
5. Edicta & Reſponſa Prudentum.

§. 4. Huc præter *jus Papirianum*, & *Leges XII. Tabularum* aliæ atque aliæ leges ſpeciales à Magiſtratibus diverſis diverſô tempore latæ referri commodè poſſunt. e gr.

I. EX JURE PUBLICO.

a, *Leges*

a. *Leges de Religione*: ut Papiria lex, Sulpitia, Hortenſia, Publicia, Cornelia, &c.&c.&c.

b. *Leges de Jure Civium Romanorum.* ut Valeria, Valeria Horatia, Porcia, &c.&c.&c.

c. *Leges de Comitiis & conventibus*: ut Ælia lex, Fuſia, Clodia, Curia, Claudia &c.&c.&c.

d. *Leges de Senatu & Senatoribus*: ut Caſſia lex, Claudia, Sulpitia, Ovinia &c.

e. *Leges de Magiſtratibus majoribus*: ut Valeria lex prima, ſecunda & tertia, Lex Villia annalis, Genutia, Cornelia &c.

f. *Leges de Magiſtratibus minoribus*: ut Valeria lex, Cornelia, Junia ſacrata lex, Icilia, &c.

g. *Leges de Legum ipſarum poteſtate & privilegiis*: ut Horatia Valeria lex de Plebiſcitis, Publilia, Cæcilia Didia, Æbutia &c.

h. *Le-*

h. *Leges de Provinciis earumque Rectoribus*: ut Sempronia lex de provinciis, Juliæ leges de provinc. Vatinia, &c.
i. *Leges de Coloniis deducendis*: ut Acilia lex, Ælia, Livia, Vatinia &c.
k, *Leges de agris dividendis*: ut Cassia lex, Licinia, Ælia Licinia, Flaminia &c.
l, *Leges de terminis s. limitibus*: ut Sempronia lex, Mamilia, Cornelia &c.
m. *Leges de re frumentariâ*: ut Sempronia lex, Livia Clodia, Hieronica.
n. *Leges de sumtibus in conviviis*: ut Famia lex, Didia, Licinia &c.
o, *Leges de re militari, bellis ac triumphis*: ut Rutilia lex, Atilia Marcia, Licinia Cassia, &c.
II. EX JURE PRIVATO.
a, *Leges de manumissione & libertis*:
ut

ut Manlia lex, Furia Caninia, Ælia Sentia &c.

ε. *Leges de connubiis & ordinibus maritandis*: ut Julia lex, Pappia, Poppæa lex.

ϛ. *Leges de Tutelis*: ut Atilia lex, Julia Titia lex, Lætoria &c.

ζ. *Leges de Testamentis hæredibus & legatis*: ut Furia lex, Voconia, Falcidia, &c.

ε. *Leges de Usucapionibus, Cessione bonorum & Furtis*: ut Atinia lex, Julia, Plautia &c.

ζ. *Leges de re nummariâ & fœnore*: ut Papiria lex, Livia, Clodia seu Claudia, Maria &c.

η. *Leges de Judicibus, Donis & Muneribus*: ut Romuli lex, Sempronia lex, Servilia &c.

θ. *Leges de Judiciis*: ut Pompeja lex, Julia, Junia Petronia, Memmia &c.

III. EX

III. EX CRIMINIBUS PUBLICIS.

א. *Leges de Majestate*: ut Appuleja lex, Valeria, Cornelia &c.

ב. *Leges de adulterio*: ut Julia lex; adde Peduceam cum lege Scantiniâ.

ג. *Leges Sicariorum, veneficii & parricidii*: ut Cornelia lex, Cornelia lex altera, Pompeja.

ד. *Leges falsi*: ut Cornelia lex.

ה. *Leges de vi*: ut Plautia lex, Clodia lex, Pompeja, Julia, Pedia &c.

ו. *Leges de peculatu, residuis & sacrilegio*: ut Petillia lex, Julia &c.

ז. *Leges de Ambitu*: ut Lex de togâ candidâ, Pratelia lex, Bæbia Æmilia lex, Maria, Fabia &c.

ח. *De pecuniis repetundis*: ut Porcia lex, Calpurnia, Cæcilia, Junia &c.

IV. EX MISCELLANEIS.

a. *Icilia lex* de Aventino monte.

b. *Atilia lex*, de dedititiis.

c. *Clodia* de Collegiis,

𝔡. *Licinia* de ſodalitiis.
𝔢. *Cæcilia* de jure Italiæ & tributis tollendis.
𝔣. *Cæcilia* de Fullonibus &c.
𝔤. *Talaria lex.*
𝔥. *Pagana lex.*

§. 5. *In modô ferendarum legum* obſervare plerumque ſolebant
I. Rogationem,
II. Relationem,
III. Promulgationem,
IV. Suaſionem,
V. Suffragii lationem,
VI. Acceptationem.

§. 6. *Perſonæ*, quibus legum rogandarum poteſtas dabatur, erant Conſules, Prætores, Dictatores, Interreges, Decemviri, Tribuni militum, Tribuni plebis; ut de Regibus & Triumviris R. P. C. taceam.

§. 7. *Tempus* quô Leges ferebantur, horæ erant intra ſolis ortum & occaſum ipſis

ipsis diebus *Fastis*, neque tamen omnibus, sed solis *Comitialibus*, nisi de coelô servatum esset.

§. 8. *Locus ferendarum legum* varius fuit: ut Campus Martius, Forum, Comitium, Prata Flaminia, Lucus Petelinus, Capitolium, plerumque autem loca potius sacra quàm profana.

§. 9. *Legum denique latarum vis* talis erat, Cives ut omnes obligaret, usque dum aliâ lege abrogarentur, neq; parvô temporis spaciô determinarentur, vel annuæ duntaxat essent, uti Prætorum edicta,

CAP. III.

De Judiciis.

§. 1.

Leges sequitur JUDICIORUM Romanorum contemplatio.

§. 2.

§. 2. *Judicia* cauſarum diſceptationes coram Judice fuerunt.

I. aut PUBLICA.

II. aut PRIVATA.

I. JUDICIA PUBLICA.

§. 3. In *publicis*, quæ de criminibus, quibus Reipublicæ Majeſtas erat læſa, quærebant, videnda

א. Crimina cum ſuppliciis,

ב. Quæſitores cum Judicibus,

ג. Quæſtionum exercitio ſeu actionum inſtitutio, ut & tota coram Prætore agendi ratio.

א. Crimina cum ſuppliciis.

Crimina, de quibus in Judiciis publicis quærebatur, non erant tantùm Senatui, vel Populo, vel Magiſtratibus factæ injuriæ: ſed nonnullæ etiam privatis illatæ.

Suppliciorum ſ. pœnarum, quibus crimina in Judiciis publicis vindicata dicuntur,

I. quæ-

I. quædam erant minima,

II. quædam mediocria,

III. quædam denique ſumma.

Minima: ut Relegatio, Opus publicum, & vincula. *Mediocria*: ut Damnatio ad metalla, Decertatio cum beſtiis & gladiatoribus. *Summa*: ut Crux, Vivicomburium, Decollatio.

2. Quæſitores cum Judicibus.

Quæſitores dicti, qui publica Judicia ſ. Quæſtiones exercere erant ſoliti: ut primum Reges, deinde Conſules, poſt Magiſtratus ſ. Prætores, quos S. P. Q. R. denominabat.

Judices vocârunt, qui à Quæſitoribus diſtincti ex lege ad judicandum adhibebantur, quorumque ſententiam Prætor ipſe pro tribunali pronunciare debebat.

3. Ipſa exercitio Quæſtionum & agendi coram Prætore ratio.

In Ipſâ exercitione Quæſtionum ſ. in

Actio.

Actionum inſtitutione, ut & in totâ *coram Prætore agendi ratione* notanda ſequentia: ut Vocatio in jus, Poſtulatio, Nominis delatio, Lectio Judicum, Cognitio cum accuſatione & defenſione, Sententiæ latio, Æſtimatio litis & animadverſio.

§. 4. Quodſi reus abſolveretur judicia duo contra Accuſatores inſtituenda relinquebantur: unum *Calumniæ*, ſi falſum crimen intuliſſent; alterum *Prævaricationis*, ſi verum crimen abſcondiſſent. Atque hæc de publicis hactenus Judiciis.

II. JUDICIA PRIVATA.

§. 5. In *privatis Judiciis*, quæ erant diſceptationes controverſiarum de reb⁹ privatis, obſervanda ſunt tria ſcitu neceſſaria: ut

A. Cauſæ ipſæ ſ. Controverſiæ,
B. Perſonæ jus dicentes,
C. Ordo Judiciorum.

A. Cau-

A. Causæ s. Controversiæ.

Causæ erant

a. Personarum,

b. Rerum, &

c. Obligationum.

a. *Personarum*: ut controversiæ de liberis & servis, libertis & Patronis, itemque quæ de nuptiis, de tutelis, de patriâ in filios potestate, de adoptionibus, & de capitis diminutionibus fuerunt.

b. *Rerum*: ut controversiæ de mancipationibus, usucapionibus, in Jure cessionibus, hæreditatibus, fideicommissis, bonorum possessionibus, arrogationibus ac bonorum emptionibus.

c. *Obligationum*: ut controversiæ de mutuationibus, commodationibus, depositionibus, fidejus-

jusſionibus, emptionibus, locationibus, ſocietatibus &c.

B. Jus dicentes.

Jus dicentes in Judiciis privatis fuere primum Reges, deinde Conſules, & qui cum poteſtate Conſulari præditi erant: nempe Tribuni militares Conſulari poteſtate, & Decemviri legibus ſcribendis, poſtremò Prætores atque Ædiles Curules.

C Ordo Judiciorum privatorum.

Ordinem Judiciorum privatorum cum Anonymo hôc modô depingimus:

I. *Actor* per amicos rem componere tentabat, quod ſi non ſuccedebat,

II. In Jus vocabat; Id eſt adibat adverſarium, & rogabat, ut ſe ſequeretur ad Prætorem, & ſi nollet ſequi, vi & obtortô collô licebat in jus rapere, ſi in viâ publicâ ageretur,

III. Vades dabantur, qui ſatis dabant, & cavebant judicio ſiſti. IV.

IV. Contra latitantem citatio per edictum fiebat, & evocabatur, si ad tertiam evocationem non prodiret, bona ejus possideri, proscribi & distrahi jubebat *Prætor.*

V. In Jus ubi ventum esset, actio edebatur.

VI. Petitio instituebatur, id est rogabatur Prætor ab actore, an liceret eam actionem intendere.

VII. Actionis datio sequebatur; tunc

VIII. *Vadatio*, quâ certâ formulâ actor petebat à reo, ut vades daret, quibus caveret se certô die, qui plerumque perendinus erat, adfuturum; actor *vadari reum*, reus vadimonium promittere, dicebatur, quod si deserebatur, causam amittebat, qui non aderat.

IX. Si uterque dictô die aderat, *intendebatur actio* formulâ conceptâ, quâ Prætori exhibitâ petebantur Judices,

X. Præ-

X. Prætor pro cauſarum conditione dabat *Judices* aut *Arbitros* aut *Recuperatores*, aut *Centumviros*, aliquando verò ipſe cognoſcebat,

XI. Judice datô *Satisdationes* fiebant, quibus cavebatur judicatum ſolvi & rem ratam haberi.

XII. Deinde fiebat *litis conteſtatio*,&

XIII. *Denuntiatio in diem perendinum*, quod & *comperendinatio* & *condictio* vocabatur.

XIV. Die tertiô Judex *jurabat* ſe ex Lege judicaturum, litigantes *calumniam jurabant*, quod & *in litem jurare* dicebant.

XV. Deinde *cauſa perorabatur*, teſtes audiebantur, tabulæ proferebantur &c.

XVI. Judices, *ſi liquebat*, ſententiam ferebant; ſin minus *ampliabant*, vel *ſibi non liquere* jurabant.

XVII. Executio ſententiæ ad Prætores redibat.

§. 6. Ut legum ferendarum; ita & Judiciorum habendorum definitum fuit *tempus* scil. in ipsis diebus *Fastis* atque *Intercisis*, Part. 2. Sect. 2. C. 2. §. 7.

§. 7. *Locus* denique Judiciorum publicorum fuit, *Forum* vel *Campus Martius*. Privata autem Judicia exercebantur in *foris* coram tribunali, vel in *plano*, vel etiam in *Basilicis*. P. 2. Sect. 2. C. 2. §. 8.

CAP. IV.

De Ærario.

§. 1.

HActenus de Legibus & Judiciis, nunc de *Ærario* s. Collectis Rom. tractandum.

§. 2. *Ærarium*, in quo prius ærea pecunia, pòst argentea, deinde aurea condebatur, modò vulgare, modò sanctius, modò

modò militare, modò privatum pro variâ habitâ relatione appellatum invenimus.

§. 3. In Ærario Rom. notabimus
I. Præfectos,
II. Locum,
III. Collectas opes.
IV. Scopum Ærarii.

PRÆFECTI ÆRARII.

§. 4. *Præfectos* ærario præpoſitos ſæpius mutatos fuiſſe relatum legimus: olim enim præfuerunt Tribuni, poſtea Quæſtores, à Quæſtoribus ad Prætores, à Prætoribus ad Senatores, & ab his ad Quæſtores denuò cura pecuniæ publicæ devoluta. Huc referendi quoque Triumviri Monetales A. A. Æ. F. F., qui monetæ cudendæ præerant Part. 2, Sect. 2. Cap. 2. §. 5.

LOCUS ÆRARII.

§. 5. *Locis* plerumque ſacris Ærarii opes aſſervabantur; ut in Templis,

Thesaurus autem s. pecunia (ut ajunt) depositiva privatorum non in templis tantùm, sed & in tumulis majorum, qui sacrorum in numerô habebantur, deponebatur.

OPES ÆRARII.

§. 6. Ærarii *opes* accrescebant ex collectis Vectigalibus, Tributis, Manubiis s Spoliis, Donariis, Fodinis; item ex Repetundis, ex viduarum pupillorumque pecuniis, ut & ex aliis impensis extraordinariis.

SCOPUS ÆRARII.

§. 7. *Scopus* Ærarii fuit habere sumtus necessarios, quos facere Romani solebant in Magistratus, Ministros, Milites, Populum, ut & in Opera publica, Aquæductus, Amphitheatra, Theatra, Balnea, Basilicas, Circos, Colossos, Curias, Fora, Pontes, Statuas, Templa, Vias, &c.

§. 4. Ad Ærarium etiam referri commodè poterit *rei nummariæ* notitia, per quam

per quam in antiquis nummis Romanis indagamus illorum *Ætatem, Materiam, Numerationem ſ. Supputationem, Inſcriptionem, Symbola cum ornamentis*, item *Integritatem* ipſorum ſcil. nummorum & denique *ordinem*, quem antiquarii certas rei nummariæ ſeries formaturi conſtituerunt.

CAP. V.

De Comitiis.

§. 1.

COmitia, quibus à coëundo vel comeundo (ut veteres locuti) nomen factum, nihil erant aliud, quàm Populi Rom. conventus publici ad ferendum de re aliquâ ſuffragium.

§. 2. Initiò omnia Comitia *calata* dicebantur, quæ denominatio poſtquam in uſu eſſe deſiiit, adhæſit tantum eis conventibus ſ. Comitiis ita dictis, quæ

vel ad condenda testamenta, vel ad creandos Pontifices habebantur.

§. 3. *Comitiorum* autem *genera*, eorum scilicet, quæ propriè & strictè ita vocantur, tria fuisse,

I. CURIATA,

II. CENTURIATA,

III. TRIBUTA, inter omnes fere convenit.

§. 4. De tribus hisce *Comitiorum* generibus quæritur,

Quæst. 1. Quid fuerint Comitia sive Curiata sive Centuriata, sive Tributa?

Quæst. 2. Quibus de causis in Comitiis actum?

Quæst. 3. Quæ personæ Comitiis iis interfuerint?

Quæst. 4. Ubi locus habendorum Comitiorum exstiterit?

Quæst. 5. Quando habita Comitia?

Quæst. 6. Quomodo habita Comitia?

Ad quas quæstiones per tria illa Comitio-

tiorum genera ordine reſpondebimus.

COMITIA CURIATA.

§. 5 De *Curiatis Comitiis*, quia ea omnium prima ſunt habita, primô etiam locô dicendum eſſe exiſtimamus. Quærimus itaque

Quæſt. 1. Quid fuerint Comitia Curiata?

Reſp. Comitia Curiata fuerunt, in quibus Populus R. curiatim ſuffragia inire conſuevit.

Quæſt. 2. Quibus de *cauſis* in Curiatis comitiis actum?

Reſp. Poſtquam Centuriata & Tributa haberi cœperunt comitia, duabus potiſſimum de *cauſis* in Curiatis fuit actum:

I. una fuit Legum ferendarum; ut e. gr. Sex legum Curiatarum:

II. altera Sacerdotum quorundam creandorum; ut e. gr. Flaminum & Curionis maximi

Quæst.3 Quæ *personæ* Comitiis his scil. Curiatis interfuerint?

Resp. *Personarum* 1. aliæ, quæ interfuerunt, potestatem convocandi & habendi comitia habuerunt; ut primum *Reges*, deinde *Consules*, *Interreges*, *Prætores*, *Dictatores*, *Pontifices*.

2. Aliæ verò suffragia in iisdem Comitiis Curiatis tulerunt: ut *Cives Romani* in urbe per Curias descripti.

3. Aliæ denique præter has aderant: ut *Candidati* &c.

Quæst.4 Ubi *locus* habendorum Comitiorum scil. Curiatorum exstiterit?

Respons. *Locus* comitiorum Curiatorum fuit in urbe, & quidem in loco fori, quem *Comitium* vocabant.

Quæst. 5. *Quando* habita sint Comitia scil Curiata?

Resp. Non omnibus sinè discrimine diebus, sed *Comitialibus* tantùm, s. etiam quoties reipubl. necessitas id postulabat.

Quæst.

Quæst. 6. Quomodo habita sint Comitia scil. Curiata?

Resp. I. Edicebantur hæc Comitia ab aliquo eorum Magistratuum, quibus id jus competebat.

II Convocabatur Populus per triginta Lictores.

III. Habebantur auspicatò.

IV. Per Curias in suffragia vel voce vel tabulis prolata ibant &c.

COMITIA CENTURIATA.

§. 6. Hæc de Curiatis, nunc de Centuriatis comitiis simili modo quærimus.

Quæst. 1. Quid fuerint comitia Centuriata?

Resp. Centuriata fuerunt, quibus populus per classium Centurias divisus suffragia tulit.

Quæst. 2. Quibus de *causis* in his comitiis sc. Centuriatis actum?

Resp. I. de Magistratibus majoribus ordinariis creandis.

II. de

II. de legibus centuriatis ferendis.
III. de bello hostibus indicendo.
IV. de judicio perduellionis exercendo.

Quæst. 3. Quæ *personæ* comitiis his scil. Centuriatis interfuerint?

Resp. Triplices interfuerunt *personæ*:

I. aliæ enim, quæ jus habuerunt Comitia Centuriata convocandi; ut *Magistratus majores* dicti.

II. Aliæ, quæ suffragia in iis scil. Centuriatis Comitiis tulerunt: ut *cives* in Centurias descripti, quibus datum erat jus suffragii; imò non ii solùm, qui in urbe Româ, sed etiam, qui extra Urbem in Italiâ habitabant, civitate unà cum jure suffragii donati.

III. Aliæ denique, quas præter dictas personas his comitiis Centuriatis interesse oportuit, fuerunt Candidati Majorum Magistratuum ordinariorum;

riorum, Diribitores, Rogatores, Cuſtodes ac Præcones.

Quæſt. 4. Ubi *Locus* habendorum Comitiorum ſc. Centuriatorum exſtiterit?

Reſp. Extra Pomœrium in loco inaugurato hæc comitia haberi debebant. Fuit autem hic locus præ reliquis *campus Martius* extra urbem prope portam Flumentanam.

Quæſt. 5. *Quando* habita ſint comitia ſc. Centuriata?

Reſp. Comitia nulla niſi Comitialibus diebus haberi poterant: ergo nec Centuriata. Hoc tamen notandum, in ſingulis menſibus quosdam fuiſſe dies Comitiales.

Quæſt. 6. *Quomodo* habita ſint comitia ſcil. Centuriata?

Reſp. I. Patres ſ. Senatus in comitiis Centuriatis auctores fieri debebant.

II. Edictum

II. Edictum præmitti neceſſe erat, ut Populus diem Comitiis dicatum intelligeret.

III. Trinundinum intercedere ſolebat inter edictum & ipſam Comitiorum celebrationem.

IV. Capiebantur ritè auſpicia.

V. Magiſtratum Comitia habiturum populus in ſuas deſcriptus Centurias ſequebatur.

VI. In Janiculo, quamdiu Comitiorum celebratio durabat, cuſtodiæ agebantur.

VII. Magiſtratus concionem habebat ad populum, qua rogabatur, an ea, quæ agerentur, jubere aut vetare vellet.

VIII. Magiſtratus populum in Centurias diſcedere & ſuffragia more recepto ferre jubebat.

IX. Dinumeratis ſuffragiis à Magiſtratu pronunciabatur id, quod

erat conclusum, Peractis Centuriatis comitiis quidam ritus solennes observabantur e. gr. Consules domum ducebatur maximâ cum frequentiâ populi, Leges acceptæ publicabantur &c.

COMITIA TRIBUTA.

§. 7. Atque de Comitiis Centuriatis hactenus: dicemus nunc de *Tributis* sc. comitiis, de quibus ordine inceptô iterum quærimus

Quæst. 1. Quid fuerint *Comitia* scil. *Tributa*?

Resp. Tributa fuerunt Comitia, cum populus per *Tribus* divisus in suffragia ibat.

Quæst. 2. Quibus de *causis* in his Comitiis scil. Tributis actum?

Resp. 1. de Magistratibus minoribus creandis, qui partim erant *Urbani*, partim *Provinciales*; & illi iterum partim *Ordinarii*, partim *Extraordinarii*. *Urbani ordinarii*: ut Tribuni plebis, Ædiles

Ædiles plebis , Ædiles curules, Triumviri Capitales, Triumviri nocturni, Triumviri A. A. Æ. F. F. Tribuni militum.

Urbani extraordinarii: ut Præfecti annonæ, Duûmviri navales, Quæstores f. Quæsitores parricidii, Duûmviri ædium sacrarum locandarum, ædificandarum, consecrandarum aut restituendarum, Quinqueviri turribus murisque reficiendis, Triumviri & Quinqueviri mensarii, Triumviri donis persequendis, Triumviri vel quotquot creabantur, ad colonias deducendas. Item omnes Curatores sive Magistratus extraordinarii, qui non, ut ordinarii annuam potestatem habebant continuatam.

Provinciales: ut Proconsules, Proprætores & Proquæstores.

II. In Comitiis Tributis fuit actum de *Sacerdotibus* eligendis: haud tamen

de

de omnibus: ut e.gr. de Pontifice maximo, qui ſolus ante legem Domitiam Tributis his comitiis creabatur, poſt legem verò Domitiam Pontifices, Augures, Feciales, Septemviros Epulonum, & Quindecimviros ſacris faciundis iisdem Comitiis creârunt.

III. Etiam de *legibus ferendis* actum Tributis comitiis: ut e. gr. de Plebiſcitis, de Rogationibus, quibus de pace ad populum ferebatur, & quibus ſuperioribus temporibus aliquis legibus ſolvebatur, item quibus triumphus per populum decernebatur, Quæſtiones publicæ conſtituebantur, vel civitas his ſ. illis dabatur.

IV. Denique & de *Judiciis* actum Tributis Comitiis, ſcilicet de iis, quæ mulctæ alicui indicendæ cauſâ exercebantur,

Quæst. 3. Quæ *Personæ* Comitiis his sc. Tributis interfuerint?

Resp. 1. Personarum aliæ interfuerunt, qui jus cum populô agendi habebant: ut Consules, Prætores, Tribuni plebis.

2. Aliæ suffragia ferebant: ut omnes cives Romani, quibus cum jure suffragii data erat civitas.

3. Aliæ etiam præter eas modò dictas personas interfuerunt: ut Candidati Magistratuum minorum, Candidati Pontificatûs maximi, & aliorum quorundam Sacerdotiorum, itemque supra dicti Diribitores, Rogatores, Custodes & Præcones vid. supra Part 2. *Sect. 2. Cap. 5. §. 6. Qu.* 3.

Quæst. 4. Ubi *locus* habendorum Comitiorum scil. Tributorum exstiterit?

Resp. Nullibi certus *locus* Tributis his comitiis erat dicatus: modò enim in-

tra, modò extra pomœrium habebantur. Interdum in Comitio, interdum in campo Martio, aliquando in Capitolio, nonnunquam in Circo Flaminio.

Quæst. 5. *Quando* habita sint Comitia hæc scil. Tributa?

Resp. Ante legem in P. Clodii Tribunatu latam, Tributa comitia nonnisi diebus Comitialibus haberi potuerunt, post illam autem legem omnibus diebus *Fastis* ea celebrare erat licitum.

Quæst. 6. *Quomodo* habita sint Comitia scil. Tributa?

Resp. Modus in habendis comitiis Tributis observatus multas quoad partes iis, quæ de Curiatis & Centuriatis supra §. 6. & 7. Quæst. 6. diximus accommodari potest. Nam

I. Indicebantur etiam Comitia Tributa à Magistratu, qui ea erat habiturus. II.

II. Non auſpicato i. e. ſinè avium inſpectione & tripudii animadverſione Tributa comitia celebrabantur.
III. Patres horum Comitiorum auctores fieri non oportebat.
IV. Quando populus convenerat, Magiſtratus comitiis habendis præpoſitus de cauſis comitiorum verba ad populum faciebat.
V. His peractis populus in Tribus diſcedebat.
VII. Sortitiones à Magiſtratu fiebant.
VII. Sortiente Magiſtratu, prout quæque primum exierat Tribus à Præcone ad ſuffragium ferendum vocabatur.
VIII. Tribus vocata ex eô locô, ubi ſtabat, diſcedebat per pontes in ſeptum ſ. Ovile ita dictum.
IX. Tabellæ populo à Diribitoribus in pontis initiô porrigebantur.
X. Ciſtæ

X. Ciſtæ deferebantur ſuffragiis per Tribus colligendis.

XI. Collectis ſuffragiis concluſum pronunciabatur.

XII. Ratione cauſarum, de quibus in Tributis fuit actum, ritus quidam ſolennes interdum mutabantur, ut & in aliis fiebat Comitiis.&c.

§. 8. Atque hæc quidem de Comitiis Curiatis, Centuriatis & Tributis hactenus: ſequitur de *Ludis* Romanorum. P. 2. Sect. 2. cap. 2. §. 1.

CAP. VI.

De Romanorum Ludis.

§. I.

LUdi Romani hìc nobis ſunt publicæ celebritates, quæ vel placandæ Deorum Dearumque iræ, vel pro ſalute populi

populi Rom. (interdum etiam pro incolumitate personæ privatæ) vel favoris popularis captandi s. temporis ludicris terendi gratiâ adornabantur.

§. 2. Spectanda sunt nobis Ludorum

I. GENERA.

II. AUCTORES,

III. LOCA, &

IV. SOLENNIS CELEBRATIO s. POMPA.

I. GENERA LUDORUM.

§. 3. *Ludorum* genera numerantur

1. vel ratione loci,
2. vel ratione causæ finalis.

§. 4. Si ratione *loci* Ludorum genera duo fuerunt, sc. Circensium unum & Scenicorum s. Theatralium Ludorum alterum.

§. 5. Si ratione *causæ finalis*, quatuor exstiterunt Ludorum genera,

I. Nempe fuit SACRORUM,

II. VOTIVORUM,

III. FUNEBRIUM,

IV. LUDICRORUM.

CIRCENSES.

§. 6. *Circenſes* à *Circo*, in quo editi, dicti ſeptem veluti claſſes ſ. ſpecies in ſe continebant;

1. prima fuit pugna cum cæſtibus, fuſtibus, gladiis, pilis, pugnis; haſtis &c.
2. In ſecunda fuit curſus.
3. In tertia Saltatio.
4. In quarta Jaculatio diſcorum, Sagittarum, telorum &c.
5. In quinta pugna equeſtris.
6. In ſextâ Aurigatio.
7. In ſeptimâ Naumachia.

SCENICI.

§. 7. Genus Scenicorum ſ. Theatralium, qui Ludi à Scenâ & Theatro, in quibus exhibebantur, ita dicti, ſub ſe habet

1. Tragœdiam,

2. Comœdiam,

3. Satyram,

4. Mimum cum fabulis Attellanis.

§. 8. Atque hæc de generibus Ludorum ratione loci: nunc ſequuntur genera Ludorum, qui ratione cauſæ finalis ſunt (uti dictum §. 1. hujus cap.) ſcil. *Sacri, Votivi, Funebres, Ludicri.*

SACRI.

§. 9. *Sacri*, qui in Deorum Dearumque fiebant honorem: ut Megalenſes, Cereales, Florales, Martiales, Apollinares, Capitolini, Romani ſive Magni, Plebeji, Conſuales, Compitalitii, Auguſtales ſ. Palatini, Seculares.

VOTIVI.

§. 10. *Votivi*, qui vovebantur & poſt rem feliciter geſtam exhibebantur. His accenſeri poſſunt Ludi victoriæ, Ludi Quinquennales, Decennales, Vicennales. Denique & huc aliquo modo pertinent Ludi Triumphales & Natalitii; item ex parte Juvenales. FU-

FUNEBRES.

§. 11. *Funebres*, qui in honorem defuncti Viri præclari edebantur: ut Junii Bruti, App. Claudii, M. Fulvii Coss., qui primi Romæ istiusmodi ludos *Funebres* exhibuerunt.

LUDICRI.

§. 12. *Ludicri:* ut Ludi Trojani & Castrenses, qui alicujus exercitationis causâ fieri solebant.

§. 13. Præter hæc dicta Ludorum genera dabatur etiam quodammodo genus Ludorum *privatum*, quales erant Latrunculi, Tali s. Tesseræ, Alea, Pila, Discus, Halter, Petaurus, Nuces, Trochi, Turbo, &c.

II. AUCTORES LUDORUM.

§. 14. *Romulus Rex* primus apud Romanos Ludos instituit, Consualibus celebratis. Hunc dein alii sunt secuti, tum *Reges*, tum *Consules* & *Prætores* &c, postremumque *Imperatores* &c.

III. LOCA LUDORUM.

§. 15. Ludi primum exhibiti ſunt in inſulâ Tiberinâ nullô certô *locô* ad eos adornatô; imò quibus animus erat Ludorum dare ſpecimina, ubi & quando volebant, conveniebant.

§. 16. Verùm Tarquinius priſcus in uſum Ludorum Circenſium exſtruxit *Circum Maximum*, quem etiam alii progreſſu temporis ſunt ſecuti *Circi*: ut *Circus Flaminius, Circus Antonii Caracallæ, Circus Aureliani, &c.*

§. 17. Dein M. Valer. Meſſala atque C. Caſſius Longinus primi inter omnes in uſum Ludorum maximè Scenicorum *Theatrum* faciendum locârunt. Plura quoque alia præterea commemorantur *Theatra*: ut L. Mummii, M. Scauri, Curionis, Pompeji Magni &c.

§. 18. Sicut verò *Theatra*, quorum partes *Scena, Proſcenium, Pulpitum, Orcheſtra*, in modum hemicycli, ita *Amphitheatra*

phitheatra formâ exſtruebantur aut circulari, aut oblongâ, ut in iisdem Ludi gladiatorii, ferarumque venationes eò melius exhiberentur.

§. 19. Quamvìs denique Circi, Theatra cum Amphitheatris, ſeu alia hujusmodi loca e. gr. *Odéa, Stadia, Xyſti* certis quibusdam dicata eſſent Ludis, contigit tamen omnes Ludos in omnibus nullô factô diſcrimine interdum committi:

IV. SOLENNIS LUDORUM POMPA.

§. 17. *Solennem Ludorum celebrationem ſeu pompam* eleganter explicat Dionyſ. Halicarnaſſæus Lib. VII. quem ipſum ea de re evolvendum & legendum exiſtimo.

§. 18. Atque hæc de variis Romanorum *Ludis* ſufficiant, quibus, sîs, ob Synonymiam vocabuli, *Ludi* Romanorum *Literarii* ſeu *Scholæ*, in quibus

Juventus cognitione Grammaticæ, Rhetoricæ &c. imbuebatur, addi possent.

Partis Secundæ
SECTIO III.
De antiquo Romanorum statu Militari.

PRÆMONITA.

NUnc operæ pretium erit *Romanæ militiæ* cognoscere instituta, quorum potissimum beneficio ad universi pene orbis terrarum imperium Romanus populus est evectus.

Omnia itaque, quæ huc pertinent, ad sequentia capita revocare volumus; acturi

I. DE RITU RES REPETENDI

CAP. I.

De ritu seu modô res repetendi *atque* bellum indicendi.

§. 1. PRisci Romani nullum bellum justum credebant, nisi quod

quod à *rebus repetitis* gereretur, aut denunciatum esset *antè* atque *indictum.*

§. 2. Proinde antequam ipsa bella suscipiebantur, certus quidam *repetendi res* & *bellum indicendi* modus ab Anco Martio Romæ primum institutus religiosè observabatur. Nam

I. Mittebatur Legatus, *Fecialis* dictus, qui, ubi ad hostium fines perveniebat, unde *res repetendæ*, Jovem cœterosque Deos invocabat dicens; se venire à Romanis, ut *jus suum petat.*

II. *Jurabat* idem cum execratione, quòd postulata, nec injusta nec impia exposceret, Jovem his verbis testem suum faciens:

Si ego injustè impièque illos homines, illasque res dedier nunciô populi Romani exposco, tum, ô Jupiter, patriæ compotem me nunquam esse sinas!

1. Hoc

III. Hoc juramentum unà cum poſtulatis Pop. Romani aliquoties iterare ſolebat *Fecialis.*

1. Hoſtium fines ſupraſcandens.
2. Obvius factus alicui ſive urbanorum ſive ruſticorum.
3. Portam ingrediens.
4. Forum ingreſſus.

IV. Si *Feciales* impetrarent, quod vellent, amici ab amicis diſcedebant; imò amicitiæ fœdus percutiebatur: quod ſi minus impetrarent, diebus tribus & triginta (tot enim erant ſolennes) peractis ſuperos atque inferos uſitatã formulâ abeuntes obteſtabantur, Populum illum, ad quem miſſi, injuſtum eſſe, nec jus perſolvere Romanis.

V. Deinde *Legatus Fecialis* Romam rediens nunciabat, ſe omnia rite executum, nec res datas, factas, ſo-

lutas, quas tamen dari, fieri atque ſolvi æquum fuiſſet.

VI. Hôc nunciô perlatô, res purô pioque bellô quærendas eſſe cenſebant, quem in finem *Fecialis* haſtam ferratam aut ſanguineam præuſtam in fines emittebat hoſtium non minùs tribus puberibus præſentibus: *Quòd Populi hi vel illi adverſus Pop. Romanum deliquerunt, &c. &c. ego Populusque Romanus populis N. N. bellum indico facioque.*

§. 3. Atque hic fuit antiquus *res repetendi bellumque indicendi* modus, ſinè cujus obſervatione priſcis Romanis bella decernere fas non erat.

CAP. II.

De Delectu Militari.

§. 1.

PRoximum, quod bellum indictum ſequebatur, erat *Delectus Militum.*

§. 2.

§. 2. Ad Delectum habendum triginta dies justi ac præliares dicti ordinabantur, quibus durantibus ad bellum gerendum necessaria præparabantur.

§. 3. Omnia fiebant admodum seriò, & vexillum rubri coloris in Capitolio erigebatur.

§. 4. Imperatorem eligebant.

§. 5. Post Imperatorem Tribunorum Milit. fiebat electio, quorum plerumque quatuordecim Juniores ex Equitibus, & decem Seniores ex Peditibus constituebantur.

§. 6. Utque ad bellum idonei obligatique adessent, nomina Civium de tabulis censoriis prælegebantur.

§. 7. Delectus à Tribunis Militum pro quatuor ut plurimum Legionibus instituebatur, ad quas voce Præconis evocati ad forum seu Campum Martium quaterni coram Tribunis in quatuor etiam partes divisis comparebant.

§. 8. Peractô hôc ipso *Delectu* Tribuni Militum conscriptos suos Milites congregabant, Sacramentô adigebant, cingebant, in numeros referebant.

§. 9. Eodem fere modô *Socii* & *Auxiliares* deligebantur.

§. 10. Necessitate urgente Milites delectu præteritô *Evocatione* & *Conjuratione* solebant eligi.

§. 11. Interdum Conquisitores adhibiti, qui in agris aut Coloniis indagarent Juniores, cogerentque. Imò sub Principibus inferioribus tirones, indicti possessionibus: sæpe viles, & non pro robore, seu splendore prisco. Iidemique in cute *stigmate* signati servilem in modum.

§. 12. Nolentes militare, cogebant

A. Vinclis.

B. Bonorum direptione aut venditione

C. Ipsorum venditione.

§. 13.

§. 13. Adde, quòd Delectu Milit. factô, & rebus ad bellum neceſſariis paratis adhibita fuerint *auſpicia*, quorum duo in bello uſitata maximè genera.

I. Primum ex paſtu pullorum;

II. Alterum ex telorum enſiumque acuminibus.

§. 14. Sed nec fas ad bellum, niſi motis *Ancilibus*, iisdemque iterum conditis, proficiſci.

§. 15. Præterea *Jani* templum reſeratum fuit, ut Deus hic militantibus Romanis ferret auxilium.

§. 16. Denique diebus *religioſis* & *Nefaſtis* omnibus bellum inferre nefas, propulſare autem licitum.

CAP. III.

De Ducibus.

§. 1.

A Delectu Militum ad *Duces*, qui exercitui præfuerunt, perveniamus.

§. 2. Duces fuerunt *Imperator* cum suis *Comitibus*.

§. 3. *Imperatores* summos Exercitûs Duces eligebant primùm Reges, deinde Consules, Dictatores, Tribunos Militum Coss. potestate, Proconsules, Prætores, Proprætores &c. qui suis auspiciis bella gerere dicebantur.

§. 4. *Comites* seu Coadjutores quasi Imperatoris erant

I. LEGATI viri militaris prudentiæ ut plurimùm periti, quos Imperator

1. vel auctoritate propriâ
2. vel Senatûs auctoritate ad vicariam operam subeundam habuit adjunctos, & in quos Imperatore absente imperii summa fuit collata.

NB. Notandum præterea, duo Legatorum genera ab Augusto fuisse introducta, quorum

A. Alii *Consulares*, ut præessent exercitui universo. B. Alii

B. Alii *Prætorii*, ut Legionibus singulis præessent.

II. TRIBUNI MILITARES, qui quoque Legionibus præerant, olim duplices

A. *Rutili* seu Rufili, quod Rutilius Rufus legem de eorum Jure primus tulisset.

B. *Comitiati*, à populi Comitiis ita dicti.

NB. Tandem crescente Tribunorum dignitate & numerô

A. Alii *Laticlavii* à lato clavo,

B. Alii *Angusticlavii* ab angusto clavo nominati.

III. CENTURIONES ordinum Ductores Imperatoris jussu ex singulis militum generibus præter *Velites* electi scilicet sexaginta in singulis Legionibus, sex in Cohorte, duo in Manipulo.

NB. Monendum autem est primæ co-

hortis Centurionibus hanc singularem fuisse dignitatem, ut, qui in Hastatorum prima scil. Cohorte esset Centurio, *Hastatus primus*, qui in Principum primâ esset, Centurio, *Princeps primus*, qui in Triariorum primâ Centurio esset, *Primipilus* vulgò diceretur.

Cæterum Centuriones sibi assumere solebant *Adjutores*, quos Tergiductores, Optiones, Succenturiones &c. vocabant.

IV. PRÆFECTUS TURMARUM alas equitum ducens.

V. DECURIONES tres in singulis Turmis, qui *Decurias* turmarum ducebant.

VI. PRÆFECTUS LEGIONIS quasi Judex, cujus præceptô disciplinæ militaris jus curabatur, & qui absentis Legati potestatem interdum adsciscebatur.

VII. PRÆFECTI SOCIUM, qui sociis

sociis seu auxiliis præerant.

VIII. PRÆFECTUS CASTRORUM, ad quem præcipua cura *Castrensis* apparatûs pertinebat.

IX. PRÆFECTUS FABRORUM, à cujus nutu Fabri, Tignarii, Instructores, Carpentarii, Ferrarii, reliquique artifices, quibus belli tempore utebantur, dependebant.

§. 5. Ducum *ministri* fuerunt Accensi, Commentarienses, Cornicularii &c.

CAP. IV.

De Militibus.

§. 1.

DUo potissimum exstiterunt Militum genera

I. Unum PEDITUM: ut

1) *Velitum*, qui erant Juvenes se-

lecti ab expeditâ celeritate ita dicti quasi Volantes.

2) *Hastatorum*, quos Velitibus adultiores ab hastis, quibus primi olim pugnaverant, Hastatos nominaverunt

3) *Principum*, qui ætate ac robore præstantiores à *principiô* dimicârunt gladiis.

4) *Triariorum*, qui natu maximi scutô, hastâ & gladiô hostilem impetum propulsare debuerunt, ab ordine tertio, ut existimo, *Triarii* vocati.

II. Alterum EQUITUM, quorum

1) Alii meruerunt *equo publico*, e. gr. quibus perpetua assignata erant stipendia.

2) Alii meruerunt *equô privatô*: e. gr. quibus annua tantum stipendia, cùm militarent, assignabantur.

§. 2.

§. 2. Fuerunt & aliæ *Militum appellationes:* ut ex.gr. quidam dicti ſunt Adſcriptitii, quidam Aquiliferi, Draconiferi, Duplicarii, Ferentarii, Rorarii, Teſſerarii, Volones &c.

§. 3. Calones & *Lixæ* ſervi erant & Miniſtri Militum.

CAP. V.

De Armis, Signis & Machinis Romanæ Militiæ.

§. 1.

POſtquam antecedentibus Capitibus III. & IV. tractavimus, quinam Duces & Milites Romani fuerint, nunc eorum reſtant explicanda

I. ARMA.
II. SIGNA.
III. MACHINÆ.

I. DE ARMIS.

§. 2. Arma dividi poſſunt

A. vel

A. vel ratione ordinum diversorum militarium.

B. vel ratione usûs.

§. 3. *Ratione ordinum militarium* fuerunt

1. Pedestrium

2. Equestrium copiarum.

§. 4. Ad *pedestres copias* (ut supra Part. 2. Sect. 3. Cap. IV. dictum) Velites, Hastati, Principes, Triarii, quorum Arma ratione ordinum diversorum erant aliquo modo diversa.

§. 5. *Velitum* quidem Arma erant

1.) *Cassis*, vile capitis tegumentum pelle lupi confectum.

2.) *Parma seu scutum rotundum* ex corio vel ligno corio superinducto constans magnitudine tripedaneâ.

3.) *Gladius Hispaniensis* utrinque acutus validô mucrone.

4.) *Hastulæ missiles* seu *pila*, quorum septena ligno tripedali, ferro molli

pe ali

pedali armata amentis affixa Velites ferebant.

§. 6. *Hastatorum* autem & *Principum Triariorumque* militum arma multis fere in partibus conveniunt e. g.

1) *Galea aerea cristata* cum bucculis ad utrasque buccas dependulis.

2) *Scutum grandius* vel ex ligno, vel ex corio, vel aliâ ex materia factum, duos mediumque pedem in latitudine continens.

3) *Lorica* antiquitus ex loris crudi corii, postea ex laminis seu catenulis facta, quæ pectoris erat munimentum.

4) *Gladius Hispaniensis*, §. 5. antec. num. 3.

5) *Hastæ sive pila* duo, quorum alterum minus (quale velitum) alterum grandius.

6) *Ocrea*, quâ Legionarii hastâ & gladiô dimicantes dextrum, Funditores

ditores autem jaculis pugnantes ſiniſtrum induebant pedem.

§. 7. *Equeſtrium autem copiarum* (Part 2. Sect. 3. Cap. V. §. 3.) Arma ſæpius mutata fuerunt,

1] *Galea* Part. 2. Sect. 3. Cap. V. § 6. num. 1.

2] *Scutum*, cujus locô priſca ætas uſurpabat corium ex bubalo extenſum, ſequiori autem ævô aliud peditum ſcutis ſimile adhibebatur.

3] *Lorica*. Part. 2. Sect. 3. Cap. V. §. 6. num. 3.

4] *Gladius oblongus*.

5] *Contus*, haſta longior.

6] *Ocrea*, crurum tegumenta.

§. 8. Denique eadem etiam Arma *ratione uſûs* (Part. 2. Sect. 3. Cap. V. §. 2.) haud incommodè dividi poſſunt.

§. 9. Hujus itaque reſpectu Arma erant *duplicia*:

I. Aliis

I. Aliis enim miles Romanus *vulnera avertebat*: ut Casside, Galea, Parma, Scuto, Clypeo, Lorica, Ocreis.

II. Aliis hosti *vulnera infligebantur*: ut Gladio, Hasta, Pilo, Conto, Lancea, Arcu, Telis, Fundis, Jaculis &c.

II. DE SIGNIS.

§. 10. *Signa militaria* (Part. 2. Sect. 3. Cap. V. §. 1. num 11.) à Quæstoribus plerumque ex ærario constituta frequenter admodum in priscorum nummis & lapidibus conspiciuntur.

§. 11. Sunt autem nobis hîc *signa militaria* neque *Vocalia* illa voce humanâ prolata; sicut in Vigiliis, neque *Instrumentalia* Buccina, Cornibus, Lituis &c. edita, quibus certis quibusdam rebus significandis certum quendam noverant aptare sonum, sed per Signa hoc loco intelligimus ea ipsa,

quæ

quæ vulgo vocantur SIGNA MUTA.

§. 12. *Muta hæc Signa*, quæ, ne ordines, aciesque turbarentur, ab antiquis inventa, iterum fuerunt

I. Peditum.

II. Equitum.

§. 13. *Peditum signa* commemorantur plerumque duplicia

A. Legionis totius.

B. Manipulorum.

§. 14. *Legionis signum* erat *Aquila* fastigio hastæ insistens, ex auro vel argento constans, & fulmen unguibus tenens, jaculum quasi missura inter Triarios primæ cohortis collocata.

§. 15. Præter hanc Aquilam alia prætulerunt Signa: ut *Aprum* seu *Porcam*, *Equum*, *Lupum*, *Minotaurum*.

§. 16. Sequioris ævi signa fuerunt alia atque alia: ut *Draco*, *Elephas*, *Labarum*, *Sphinx*, *&c.*

§. 17.

§. 17. Tranſimus ad *Manipulos*, qui ſignorum locô ferebant

1) Straminis ſeu fœni manipulos è perticis ſuſpenſos.
2) Haſtam, in cujus parte ſummâ lignum transverſum crucis formæ fere ſimile.
3) Tum & orbiculos quosdam ſeu Clypeolos cum manu ſuprà eminente appendebant.
4) Denique tum Deorum, tum Imperatorum & Principum imagines illis in orbiculis poſita conſpiciebantur.

§. 18. Satìs de *Peditum* ſignis. An autem propria Romanorum cohortibus fuerint ſigna: an ſingulis Sociorum Manipulis; an Cohortibus ſolummodo, in dubio ponitur.

§. 19. *Equitum ſigna* (part. 2. ſect. 3. Cap. V. §. 12.) fuerunt *Vexilla* ſeu *Flamulæ*, vela quædam quadra expanſa, ſed modi-

modica, in quibus è purpurâ confectis & auro nonnunquam mixtis nomen Principis inscriptum legebatur.

NB. Sociorum quoque Signa vocabantur *Vexilla.* Liv. Lib. 25. & 39.

III. De MACHINIS.

§. 20. *Machinæ* (Part. 2. Sect. 3. Cap. V. §. 1.) nobis sunto opera seu Instrumenta illa bellica, quibus

1. partim in *oppugnandis* obsessis.
2. partim in *repugnandis* obsidentibus utebantur.

§. 21. Oppugnabant præcipuè

a Coronâ.
b Scalis compactilibus, coriaceis, stuppeis seu reticulatis.
c Tollenonibus & Sambucis scalarum usum præbentibus.
d Cratibus.
e Vineis.
f Pluteis, ad quos referimus cum aliis Læsas & Spalionas.

g Testu-

g Testudinibus militaribus, Aggestitiis seu Simplicibus, Fossoriis seu Rostratis, Arietariis.

h Musculis.

i Vectibus, Dolabris.

k Circumvallationibus, quæ erant instructæ

Aggere.
Vallô.
Loricâ.
Cervis.
Turribus.
Fossis.
Cippis.
Liliis.
Stimulis.
Pontibus &c.

l Tormentis: ut e. gr.

Arietibus.
Catapultis.
Balistis.
Scorpionibus.

Falcibus muralibus.

m Telis, Fundis &c.

n Cuniculis &c.

§. 22. *Repugnabant* (vid. *§.* 21. præced.) obſeſſi fortiter: nam

A. Contra *aſcendentes* utebantur

Arenâ.

Bitumine.

Ferrô.

Fœnô Græcô.

Oleô.

Pice.

Plumbo.

Retibus.

Rumicibus.

Tribulis, &c.

B. Contra *Machinas*, puta, contra *Teſtudines militares* atque *Scalas* pugnabant

Saxis aut Ponderibus.

Contis aut Lanceis.

C. In *Machinas* ſcilicet in *Muſ-*

culos,

sculos, *Pluteos*, *Turres*, *Vineas*, & si quid tale, duo præprimis tela repugnantia valebant: ut Saxa (de quibus modò dictum:) & Ignes, qui varii: e. gr.

Faces.
Falaricæ.
Malleoli.
Unci.

NB. In *Turres* etiam Trabes injectæ, ut & Turres contrariæ exstructæ.

D. Adversus *Arietes* & *Falces Murales* adhibebantur

Bases s. Columnæ.
Centones.
Culcitæ.
Laquei.
Lupi.
Sacci.
Murus alius intrinsecus oppositus.

E *Ballistis*, *Catapultis*, totique

levium *Telorum* generi tanquam obstacula opponebantur

Cilicia.
Coria.
Rotæ.
Vela.

F. *Aggeres* evertebantur

Cuniculis.
Alio aggere opposito.
Itemque Igne.

G. Partim in *Machinas*, partim in *homines* promiscuè usurpapabant;

Dolia.
Cylindros.
Aliaque talia, &c.

§. 23. Atque de Armis, Signis & Machinis hactenus. Jam ad ipsum *Exercitum* universum properamus.

CAP.

CAP. VI.

De Exercitu univerſo.

§. 1.

EX delectu Ducum & Militum, de quibus ſupra *Part. 2. Sect. 3. Cap. III & IV.* egimus, univerſus comparabatur *Exercitus*, quem duas in partes generales dividere lubet.

I. In LEGIONES.

II. In SOCIOS.

De LEGIONIBUS.

§. 2. *Legio* à legendo ita dicta certa peditum equitumque fuit manus, ex Civibus Romanis ingenuis conſtans, à Romulô primitus inſtituta.

§. 3. Militum *numerus* in unaquaque *Legione* non ſemper idem, ſed temporibus diverſis exſtitit diverſus: modò enim trium millium peditum & trecentorum equitum; modò quatuor, modò quinque, modò ſex mil-

lium peditum; itemque, modò ducentorum modò trecentorum equitum,&c. fuit.

§. 4. Multò ante bella Punica quatuor *Legiones* in annos ſingulos Romani ſcribebant, ubi verò imperium fuit auctum, *Legionum* ipſarum numerus pro gravitate belli accrevit.

§. 5. Nominabuntur hæ Legiones

1.) Vel ab *ordine*: Prima, Secunda, Tertia, Quarta, &c.

2.) vel ab *Imperatorum nominibus*, Auguſta, Claudiana, Galbiana, &c.

3.) vel à *Provinciis ſubactis*: Parthica, Gallica, Macedonica, Scythica, &c.

4.) vel à *Deorum Dearumque nominibus*: Apollinaris, Minervia, &c.

5.) vel ab aliis *Eventibus*: Victrix, Ferrata, Fulminatrix, &c.

§. 6.

§ 6. Partibus duabus generalibus *Legiones* conſtabant.

I. Una Pars *Pedeſtres*,

II. Altera *Equeſtres* copias continebat.

§. 7. Pedeſtres in *Cohortes*, quarum decem in unâ Legione numerabantur, dividebant.

§. 8. *Cohors* tres *Manipulos* eſt complexa, *Manipulus* duas *Centurias*, *Centuria*, ſi centenarius numerus juſtus, decem *Contubernia*.

§. 9. Uti Pedeſtres Part. 2. Sect. 3. Cap. VI. §. 6. in decem Cohortes; ita *Equeſtres* copiæ in totidem *Turmas* diſtribuimus. Una quæque autem *Turma* iterum habuit tres *Decurias*.

§. 10. Atque hæ *Legionis* fuere *Partes ordinariæ*: ita ut Legio peditum habuerit Cohortes *decem*, *triginta* Manipulos, Centurias *ſexaginta*, Contubernia *ſexcenta*, ſi NB. Centuriæ nu-

merus justus Centenarius; Equitum verò *Alam* unam, *Turmas* decem, *Decurias* triginta.

DE SOCIIS.

§. 11. Pars altera generalis (Part. 2. Sect. 3. Cap. 6. §. 1.) Exercitûs Romani fuerunt SOCII, qui pari aut etiam majori numerô Legionibus juncti.

§ 12. *Socii* appellabantur, quasi confœderati & consortes armorum.

§. 13. *Socii* proprie dicti erant *Italici*, qui post Italiam civitate donatam deficiebant; Dein eorum vicem subibant *Auxilia*.

§. 14. Cautè & signatè loquentes accuratè distinguunt inter Socios & Auxilia. Nam

I. ut dictum, *Socii* erant Italici; *Auxilia* s. Auxiliares, externi.

II. *Socii*, si frumentum excipias, gratìs plerumq; militabant; *Auxiliis* autem utplurimum stipendia solvebantur.

CAP.

CAP. VII.

De Expeditione.

§. 1.

DIximus *Cap. anteced.* III. IV. V. & VI. *Part.* 2. *Sect.* 3. qui militarium munerum Præfecti, qui militum Ordines, quæ eorum Arma, Signa, Machinæ, quomodo universus Exercitus dividendus: jam exercitus ipse ad *Expeditionem* erit educendus.

§. 2. *Expeditio* nobis hic est *ordo* ipsius agminis s. Exercitûs in itinere constituti.

§. 3. Hic *ordo* licèt exstiterit varius sæpiusque mutatus, plerumque tamen fuit talis.

1.) Extraordinarii primum in incessu obtinebant locum.

2.) Cornu Sociorum dextrum subsequebatur, quibus sua jumenta erant proxima.

3.)Eos prima Romanorum sequebatur Legio sua ponè habens impedimenta.

4.)Tum Legio ibat secunda subsequentibus ipsam suis plaustris & impedimentis sociorum, qui agmen cogere solebant, &c.

5.) Equites modò à tergo reperiebantur, modò latera jumentorum obequitabant, &c.

6.)Quod si à tergô quæsita suspicio, cætera quidem apud ipsos eodem sese modô habebant: ipsi autem Extraordinarii sociorum à fronte ad tergum traducebantur, alternisque diebus Legiones & Cornua eadem præcedebant, iterumque à tergô sequebantur, ut frumentationis aquationisque integræ omnes fierent participes.

NB. Quæ tamen omnia non ita stri-

ctè explicanda, quasi semper idem *ordo Expeditionis* fuerit; alio enim atque alio ordine incessûs ratione locorum & periculorum usi sunt Romani; quemadmodum ex unius *C. J. Cæsaris Comment.* abundè constat.

§. 4. Magna præterea itinera in *Expeditione* conficiebantur: æstivis enim diebus 20. milliaria solebant conficere, quæ quamvis nostratibus minora, iter tamen pro onustis ingens.

§. 5. Nam singuli præter arma & cibaria dierum trium vel plurium, serram, cophinum, securim, sarculum, falcem frumentariam, rutra & catenam, tum sæpe & vallos, seu palos muniendis castris aptos tres pluresve ferre cogebantur.

CAP. VIII.

De Castris.

§. 1. AD Castra referimus ipsorum

I. METATIONEM.
II. MOTIONEM.

Metatio Castrorum.

§. 2. Suscepto ad hostes itinere præmittebantur *Metatores*, qui loca castris ponendis apta quærerent, moreque solitô *metarentur.*

§. 3. Locô apto reperto fiebant castra, quæ

vel *Mansiones.*
vel *Sedes stativæ.*
vel *Hyberna.*

§. 4. Præcipuæ *castrorum partes*, quas Metatores delineabant, fuerunt,

Prætorium.
Quæstorium.
Pedatura Legatorum.
Pedatura Tribunorum.
Pedatura Præfectorum.
Principia.
Pedatura militum.
Viæ.

Por-

Portæ.

Munimenta.

§. 5. Atque hæ præcipuæ Castrorum partes, quibus adde *Tentoria* militum ex pellibus plerumque facta.

Motio Castrorum.

§. 6 Ad *Castra movenda* ter signum tubâ datum.

A. Primo signô dato tabernacula s. tentoria convellebant, sarcinasque componebant.

B. Altero jumentis imponebant onera.

C. Tertio omnes ordine eo, qui paulò antè in Expeditione. P. 2. S. 3. Cap. VII. fuit indicatus, incedebant.

CAP

De Acie.

§. 1.

EXercitui è Castris educto ad [illegible]mus *Aciem*, quam ipse ille contra hostes construxit.

§. 2.

§. 2. In *Acie* autem instruendâ notabimus.

I. Adjunctos ritus solennes.
II. Ducum & signorum loca.
III. Ipsum ordinem generalem universi Exercitûs ad aciem instructi.
IV. Formam.

§. 3. Adjunctorum *rituum solennium* præcipui fuerunt.

α. Imperatoris ad militum concionum allocutio, quam vel suffragium vel refragium militare sequebatur.
β. Classicum.
γ. Militum clamor & baritus: item armorum concussio.
δ. Pugnæ signum, scil. Tunica punicea, Vox & Tessera.

NB. Quod si ante instructionem Aciei periculum futurum, Diique non rite placati viderentur, tum aliquis Roma-

manorum ſeſe *pro Exercitu* ſ. patria ſua *devovebat*.

§. 4. Quantum ad *Ducum locationem* (Part.2. Sect.3. Cap. IX. §.2. num. II.) liquet, *Imperatorem* ante Aquilas inter Principes & Triarios ſtetiſſe. De cæteris nota, quòd duo *Legati* mediam aciem rexerint, duo utrumque cornu, alter alterum: *Tribuni* alii aliâ in parte fuerint, prout res popoſcit: *Centuriones* in ſuis ſinguli centuriis: *Evocati* denique vel cum Imperatore, vel in Manipulis pugnaverint, ut aliis militantibus in acie animos adderent, &c.

§. 5. De *ſignis* (Part. 2. Sect. 3. Cap. IX. §. 2. Num. II.) jam dictum ſupra Part. 2. Sect. 3. Cap. V. num. II §. 10. ex quo patet, cuique Manipulo ſua fuiſſe *Signa*, ut & Legioni communem Aquilam.

§. 6. Sparſa atque diſpoſita hæc *Signa* in fronte fuiſſe videntur; ita ta-

men, ut aliquod quasi vallum virorum objectum, ne hôc modô nuda sc. signa hosti oblata apparerent. Atque hi viri erant, quos Antesignanos appellabant.

§. 7. Plerumque autem præcipua *Signa* circa Imperatorem & Tribunos conspiciebantur.

§. 8. *Ordo* (Part. 2. Sect. 3. Cap. IX. §. 12. num. III.) *Aciei Romanæ* variat. *Acies* verò vulgaris *tribus* constabat *ordinibus*, quos, ut numeremus, exempli locô nobis esto Exercitus quatuor Legionum, quarum duæ sunto Romanorum, totidem Sociorum.

א. *Ordo primus* Aciem mediam duarum Legionum Romanarum habebat.

ב. *Secundus ordo* Aciei in Cornibus s. Alis numerabat Sociorum Legiones duas, quarum una in dextrô, altera in sinistro Cornu s. Ala collocabatur.

3. *Ordo tertius* Equites in Turmas deſcriptos ad latera ſic diſpoſitos continebat, ut Equites Sociorum cornu ſiniſtrum tuerentur, dextrum autem Romanorum ſc. Equites; quibus Extraordinarii ad dextram adjungebantur Equites.

§. 9. Ut *Acies vulgaris* in tres ordines diviſa, ita & *Legio*

1. Unus erat Haſtatorum.
2. Alter Principum.
3. Tertius Triariorum.

Qui in Manipulos diviſi ita pugnabant, ut primi, ſi repellerentur, per ſequentis ordinis intervalla ſe recipere poſſent.

§. 10. Sed *Velites*, qui quoque ad ordines Militum Romanorum (Part. 2. Sect. 3. Cap. IV.) referuntur, locum nullum certum occupabant: modò enim in cornibus, modò mixti Manipulis, modò ante ipſa ſtabant ſigna.

§. 11. Præter equites extraordinarios, (Part.2. Sect.3. Cap.IX. §.8. λ.) si opus, *pedites* etiam *extraordinarii* ipsi Aciei inserebantur. Hi inter Triarios sociorum & Triarios Legionarios collocati duas in partes dividebantur, quarum unaquæque sex numerabat Manipulos.

§. 12. Jam sequitur *Forma* (Part. 2. Sect. 3. Cap. IX. §. 2. num. IV.) id est quâ veluti facie & positurâ Acies instructa.

§. 13. Non omni tempore uno eodemque modô Acies fuit ordinata: aliquando enim *Quadrata* s. *simplex*, aliquando *Duplex* s. *Triplex*, quo casu fuit vel *obliqua*, vel *sinuata*, vel *gibbera*.

§. 14. Aliæ quoque *Aciei formæ* extiterunt: nam ratione locorum vel hostium repræsentabat *Cuneum*, *Globum*, *Forcipem*, *Laterculum*, *Serram*, *Turrim*, *&c.*

CAP.

CAP. X.

De Disciplinâ Militari.

§. 1.

REducendus exercitus militans ex Acie, ut videamus, quam *Disciplinam Militarem* in tanto agmine regendo, summus Imperator reliquique Duces adhibuerint.

§. 2. Ad *Disciplinam* hancce cum aliis Antiquariis ea referenda putamus, judicamus, quæ tractant de materiâ

I. MUNIORUM.
II. EXERCITIORUM.
III. PRÆMIORUM.
IV. POENARUM.
V. LEGUM QVARUNDAM SPECIALIUM.

MUNIA.

§. 3. *Munia* erant
vel Ducum
vel Militum.

§. 4.

§. 4. *Munia Ducum* erant, dare mandata. Ideò quotidie horis matutinis Centuriones & Decuriones coram Tribunis, quos ordo mandata ferendi tangebat, sese sistebant. Hi autem cum illis ad summum Imperatorem, qui, quid agendum esset, injungebat, properabant.

§. 5. *Militum Munia* erant

א. *Ministeria.*
ב. *Excubiæ.*
ג. *Vigiliæ.*

§. 6. *Ministeria* militibus Principibus & Hastatis peragenda fuerunt *Tribunitia*:

Duo enim horum Manipuli ordinabantur, ut *Principia*, quæ ante Tribunos, in dies mundarent &c.

Reliquorum verò Manipulorum octodecim operâ *Tribuni sex* alternatim utebantur, scilicet in tentoriis collocandis, locis complanandis, cespitibus

bus diſponendis, vaſis & variis utenſilibus cuſtodiendis, &c.

§. 7. Per hæc Principum & Haſtatorum miniſteria (nam *Triarii* ob dignitatem, velitesque ob vilitatem à miniſteriis Tribunitiis erant liberi) non commoditas ſolùm plurima, ſed ſumma etiam accedebat auctoritas Tribunis.

§. 8. *Excubiæ* (vid. Part. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 5. lit. ב.) vulgò Schildwachten erant

Imperatoris,
Tribunorum,
Equitum,
Munimentorum.

§. 9. Unus ex omnibus Manipulis *Imperatori* in dies excubabat.

§. 10. *Tribunis* duas dabant excubias ſ. φυλακεῖα: φυλακεῖον autem ex quatuor conſtabat viris, quarum pars ante tentorium, pars poſt illud juxta equos excubare ſolebat. §. 11.

§. 11. Turmis *equitum*, qui primores civium, excubias quotidiè præbebant Triarii, uti nempe quisque eorum Manipulus à tergo Turmæ assidebat.

§. 12. Nec etiam *Munimenta*, absque excubitoribus: Mos enim fuit Romanis, cohortes & turmas totas ibidem ponere, quas *Stationes* vocârunt.

§. 13. In *Vigiliis* (Part. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 5. Lit. 2.) vulgò Nachtwachen spectanda

Tessera.
Vigiliæ ipsæ.
Circuitio.

§. 14. *Tesseram* definiunt plerumque fuisse notam militarem in tabella latiuscula ex ligno, notatam dicto vel signo, quod Imperator esse vellet: e.gr. *Felicitas* aut *Victoria*; ut Cæsaris: *Invictus Hercules*; ut Pompeji M: *Laboremus*; ut Septimii Severi: *Militemus*; ut Pertinacis: &c.

§. 15.

§. 15. Modus dandi accipiendique *Teſſeram* talis fuit obſervatus:

(1) Eligebant in quoque genere equitum & peditum ex decimo ſigno, quod ultimum erat, unum virum, quem appellabant *Teſſerarium.*

(2.) Hic *Teſſerarius* ſole jam inclinante ad Tribuni tentorium veniens ſignum petebat.

(3) Tribuni illud ab Imperatore accipiebant per ſuos Centuriones in milites transfundendum.

(4.) Denique *Teſſera* hæc adhibitis dabatur teſtibus, ne quis eam eſſe datam negaret.

§. 16. *Vigiliæ* ipſæ (P. 2. S. 3. C. X. §. 13.) per Manipulos erant diſpoſitæ.

§. 17. *Vigiles* quaterni in quatuor ſe dividebant partes, ita ut ſinguli unam noctis *vigiliam* obirent, nempe quisque per ternas horas: nam *Vigiliæ* erant quaternæ, ſingulæque in horas ternas diviſæ.

§. 18.

§. 18. Ut autem positæ Vigiliæ alioquin in noxam ruituræ firmarentur, requirebatur *Circuitio*, vulgò Ronda s. Ronde.

§. 19. *Circuitionis* peragendæ cura Equitibus & Tribunis, interdum etiam ipsi Imperatori fuit commissa. Progressu autem temporis *Circuitio* tanquam proprium aliquod munus *Circuitoribus*, quos Græcô nomine vocamus Περιπόλυς, fuit tradita.

§. 20. In *Circuitione* duo ad excitandum adhibita, videlicet buccina & voces: Vigila! Vigila!

§. 21. Quodsi qui *Vigiles* negligentiæ alicujus in *Vigiliis* obeundis perpetratæ à *Circuitore* accusarentur, fuste (vid. infra P. 2. Sect. 3. Cap. X. n. IV.) percutiebantur.

EXERCITIA.

§. 22. Munia cum Ministeriis, Excubiis & Vigiliis absolvimus, jam ad

Exer-

Exercitia (Part. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 2. num. II.) alteram diſciplinæ militaris partem tranſimus.

§. 23. *Exercitia* hæc ut ordine perluſtremus, triplicia exſtitiſſe, ſtatuere debemus: nempe

I. Onerum.
II. Operum.
III. Armorum.

Exercitia Onerum.

§. 24. Quatuor *onerum* genera militibus imponebant:

α. *Cibos*: nam plusquàm dimidiati menſis cibaria, interdum etiam totius menſis ferre ſolebant.

β. *Utenſilia*: ut Serram, Corbem, Rutrum, Securim, Falcem, Lorum, Catenam, &c.

γ. *Vallum* ſ. *Vallos*: quivis enim militum tres aut quatuor ſ. etiam plures ſecum ferebat, ut ne-

necessitate urgente sese statim vallare & munire posset.

8. *Arma*: e.gr. Scutum, Galeam, Gladium, &c. quæ, aliaque arma non plus in onere numerabant, quàm humeros, lacertos, manus.

Exercitia Operum.

§. 25. In *Operibus* perficiendis nemo fere par Romanis militibus.

§. 26. Circa fossiones & munitiones Castrorum, omnemque ejusmodi ærumnam erant laboriosissimi.

§. 27. Plura quoque *opera* alia structuræ melioris; ut Templa, Basilicas, Aquæductus, Porticus, Theatra, Naves, Oppida, Vias, &c. adfabrè struxerunt: imò nonnulla flumina patefecerunt, paludes siccârunt, Colonias deduxerunt, &c.

Exercitia Armorum.

§. 28. Ut Romanus miles ad defenden-

dendum & offendendum *Arma* peritè tractare diſceret, creberrima inſtituebantur *Armorum Exercitia.*

§. 29. Tyrones manè & poſt meridiem, ad omne genus *armorum exercebantur:* ſemel autem in die Veterani rei militaris magis periti.

§. 30. Ipſi quoque *Duces* & *Imperatores* ab *Exercitiis armorum* minimè abſtinebant, ut in exemplum ſcientiam oſtentarent, e.gr. *Scipio Africanus, P. Valerius Conſul, Trajanus, &c.*

§. 31. *Exercitia* hæc *armorum* Romano militi erant varia: *ex. gr.*

Ambulatio.
Decurſio.
Saltus.
Natatio.
Palaria.
Armatura.
Salitio, &c.

§. 32. Quisque itaque miles omni

 die

die & omni ætate tanquam à bello diligenter *exercebatur*, maximè verò in *Stativis* aut *Hybernis*.

§. 33. Nec cessârunt pluviis aut hyemantibus diebus ab *Exercitiis armorum*, sed porticus quasdam & basilicas cannâ aut stramine leviter tectas habuerunt, in quibus equestres & pedestres copiæ *Exercitia* obire potuerunt. Aliàs in campo: inde *Campestres Exercitationes*.

PRÆMIA.

§. 34. Ut Romani strenuè militantes suæ virtutis haberent incitamenta, proponebantur *Præmia*, quæ.

I. DUCUM.
&
II. MILITUM.

De DUCUM Præmiis.

§. 35. Magna illa *Præmia*, quæ S. P. Q. R. *Ducum* virtuti & fortunæ proposuit, dividuntur iterum in *Præmia*

I. Im-

1. Imperatorum &
2. Ducum reliquorum.

§. 36. *Imperatorum præmia* re feliciter gestâ fuerunt.

IMPERATORIS APPELLATIO.
SUPPLICATIO.
OVATIO.
TRIUMPHUS.

§. 37. *Imperatoris appellatio* est, qua Ducem strenuum milites primum in castris, deinde Senatus in urbe Imperatoris nomine ornabant.

§. 38. *Supplicatio* præmium fuit honoris, quod unà cum Imperatoris nomine victori dabatur.

§. 39. *Supplicatio* hæc duplex:

I. Una, quæ modò extraordinariô ad edictum Prætoris instituebatur.

II. Altera, cum Proconsules s. Proprætores insignem ob victoriam à militibus Rom. Im-

peratores appellati ad Senatum R. literas mittebant *laureatas*, quibus Appellationem s. nomen Imperatoris publicâ cum significatione petebant.

§. 40. Inter alia *solennia Supplicationis*

(α.) Senatus populo aperiri templa, Diisque gratias nomine Imperatoris agi jubebat.

(β.) Offerebantur sacrificia.

(γ.) Vota fiebant.

(δ.) Epulum parabatur.

(ε.) Dies festi modò plures, modò pauciores pro dignitate victoris & magnitudine victoriæ celebrabantur. &c.

§. 41. *Ovatio* (P. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 36.) præmium ipsis triumphis inferius fiebat,

1.) cum Dux nec hostes justos nec satis illustres. ex. gr. *fugitivos, piratas, Servos* vicerat.

(2.

2.) cum bellum non rite indictum gesserat.

3.) cum incruentâ victoriâ deditione repente factâ victor abierat. &c.

§. 42. Præcipua *Ovationis* solennia erant hæc:

a.) *Ovans* non laurô, sed myrtô pedibus & calceis redimitus conspiciebatur.

b.) *Ovans* nec curru vectus, nec trabeâ nec togâ pictâ ornatus exercitu præeunte urbem pedibus ingrediebatur. An autem equo vectus, incertum.

c.) *Ovante* urbem ingrediente non tubis, sed tibiis concinebant.

d. Ut taurum in triumphò, ita ovem in *Ovatione* immolare solebant. &c.

§. 43. *Triumphus* (P. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 36.) in antiquis numismatibus scriptus *Triumfus* seu *Triumpus*, à θρί-

αμβ☉.

αμβ⊕, Liberi patris cognomine ita dictus, fuit eximium illud honoris præmium, quo excellentium *Imperatorum* personæ, qui auspicio suo hostem justô prælio vicerant, Senatûs primùm decretô, deinde etiam populi R. suffragiis ornabantur.

§. 44. Duo autem *Triumphorum* habuerunt genera:

א. unum fuit *terrestrium*, si terrâ,

ב. alterum *navalium*, si mari res feliciter gestæ.

§. 45. *Triumphalis pompa solennia* admodùm variata: nam quò magìs Reipl. Romanæ auctoritas aucta, cò magìs & ipsius ornamenta triumphalia crescebant.

§. 46. Ad *solennes* autem *Triumphi ritus* in genere quod attinet, hi fere fuerunt hujusmodi:

I. Imperator triumphans triumphali veste ornabatur.

II. Po-

II. Populo convocato ab Imperatore pecunia & ornamenta, e. gr. Armillæ, Phaleræ &c. (vid. infra Part 2, Sect. 3. Cap. X. num. III. e.) militib9 collaudatis distribuebantur.

III. Imò universo fere exercitui magna prædæ ex hoste captæ pars porrigebatur.

IV. Quin etiam populus R. fuit donis locupletatus, & etiam sumtus in ludos publicos (*de Ludis Rom. egimus supra Part. 2. Sect. 2. Cap. VI.*) & opera publica (*Part. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 25, 26, 27. de operibus publicis dictum:*) fieri solebant.

V. Sacrificium primum mactabatur.

VI. His peractis Triumphaturus currum suum rotundum turris ad instar ex ebore fabricatum conscendebat precans:

DII, NUTU ET IMPERIO QUORUM NATA ET AUCTA

EST RES ROMANA, EANDEM PLACATI PROPITIATIQUE SERVATE.

VII. Tum Imperator curru ſublimis, veſte triumphali inſignis, laureâ redimitus, lauriquе ramum manu protendens, interdum cervis, nonnunquam Leonibus, tigridibus, elephantis, canibus, ſæpius quadrigis albis per portam triumphalem vehebatur.

VIII. Pòſt boves immolandi vittis ſertisque redimiti, interdum etiam auratis cornibus non absque ſpecioſâ oſtentatione ducebantur.

IX. Deinde rapta ſpolia, ſigna, tabulas, vaſa, pocula, arma, aurum, argentum, domitarum gentium titulos victarum urbium imagines &c., ge, ſtabant, quibus quandoque animalia rariora ſeu plantas ex locis victis allatas addebant.

X.

X. Capti hoſtium Duces, Principes, Reges catenis vincti ſuccedebant.

XI. Tum demum ipſius triumphantis Imperatoris currus, (Part. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 46. num. VI.) quem ſanguine ceu notâ victoriæ aſperſum Tubicines modos triumphales canentes præcedebant, ſequebatur.

XII. Imperatori à tergo ſuggerebatur: RESPICE POST TE! HOMINEM MEMENTO TE!

XIII. Huc referendum, quòd

1.] Currui tintinnabulum & flagellum appenderint;

2.] advectus fuerit inſuper Miniſter publicus pone tenens coronam auream gemmis diſtinctam;

3.] Triumphantium ora miniô illiniverint;

4.] moris item fuerit, quòd Triumphans filiolos pueros, affines & cognatos ſecum duxerit,

XIV. Inde tandem exercitus victor; nempe equites turmatim, & pedites suis quisque ordinibus, laureati omnes, accinentes carmina triumphalia & virtutis suæ militaris præmia ostentantes conspiciebantur.

XV. Permulti pompæ triumphalis spectatores habitu mundô, & ut plurimùm albô induti lætissimâ festivitate acclamabant: Jò triumphe! Jò triumphe!

XVI. Ædes sacræ in Deorum honorem apertæ ipsa procedente triumphi pompâ suffimentis coronisque replebantur.

XVII. His atque aliis solennibus ritibus Imperator triumphans ad sacrum Capitolium perductus jussit.

1.) præsentes hostes victos in carcerem conjici,

2.) Consuevit secundum ordinariam formulam precari:

Gratias

Gratias tibi, Jupiter optume, maxume, tibique Junoni regina, & cæteris hujus custodibus, habitatoribusque arcis Diis lubens lætusque ago. Rem Romanam in hanc diem & horam per manus, quod voluisti, meas servatam bene gestamque, eandem & servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, supplex oro.

3.) Jussit immolari sacrificia.

XVIII. Senatus sumtu publicô epulum dedit, & aliquantum pecuniæ plebi distributum, reliquum in ærarium publicum relatum.

XIX. Opima spolia in Templo Jovis Feretrii plerumq; fuerunt suspensa.

XX. Quin & hoc usitatum, ut ædes triumphalem acciperent ornatum. Item Columnæ, Statuæ, Tropæa & Arcus triumphales erigerentur.

XXI. Honestissimus locus in consessibus publicis datus fuit *Viris triumphalibus*; imò permiserunt iisdem Laure-

Lauream coronam in ſpectaculis geſtare, ſicut & aliis omnibus, qui unquam coronas obtinuerant.

XXII. Oblatum *Triumphi* honorem repudians exilio mulctari ſolebat.

NB. Atque hæc habui de ſolenni *Triumphorum* pompâ, quæ ex probatis auctoribus antiquis excerperem.

§. 47. Reliquorum DUCUM (Part. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 35. num. 2.) *Præmia*

I. vel erant communia cum militum præmiis, niſi quòd duplicata, triplicata &c. accipiebant.

II. vel erant eximiæ promotiones.

Militum Præmia.

§. 48. Ut Imperatores, reliquique Duces; ita etiam ſua ſinguli ſtrenui MILITES habuerunt *Præmia*, quæ (Part. 2. Sect. 3. Cap. X. §. 34. num II) in duas referri poſſunt claſſes, ut prima ſit Ordinari-

nariorum, altera Extraordinariorum præmiorum.

§. 49. *Ordinaria* MILITUM *Præmia* fuerunt

א.] STIPENDIUM, quod, licèt olim nullum esset, siquidem antiquiores Civium Romanorum suis militarent sumtibus, Vejenti tamen bello primum datum fuit, scilicet æs *annuum mille æris*, sive *diurnum, duorum assium & dodrantis.* Hoc autem *Stipendium* subsequentibus temporibus duplicabatur, & tandem sub C. J. Cæsare ad X. *asses* augebatur. Denique sub reliquis Imperatoribus variæ *Stipendii* instituebantur mutationes: nam præter Æs militibus *frumentum, vestes* &c. interdum suppeditabantur.

ב] EMERITÆ MILITIÆ COMMODA: ut *agri* veteranis militibus dati.

§. 50.

§. 50. *Extraordinaria* MILITUM *præmia* fuerunt

A) MUNERA MILITARIA: ut

α.) Centurionatus.

β.) Decurionatus.

γ.) Præfectura.

δ.) Optionatus.

B.) COHORS PRÆTORIA, quæ, nisi civi Romano, patuit nemini, impigrè verò militanti permissa.

C.) AUGMENTUM STIPENDII, quod aut duplex, aut triplex, si quis quid egisset strenui.

D.] PRÆDA ex hoste capta, quæ aliquando largâ manu militibus pro meritô distribuebatur.

E.] DONA MILITARIA, quæ vel post victoriam, vel ante triumphum militibus porrigebantur: ut

a.) Armillæ.

b.) Hasta pura.

c.) Phaleræ.

d.) Torques.

e.) Pecunia.

f.) Coronæ. e. gr.

1.] Civica.

2.] Castrensis.

3.] Obsidionalis.

4.] Muralis.

5.] Navalis.

6.] Triumphalis s. Laurea, quam *Imperatoribus* triumphantibus in signum triumphalis decoris gestare plerumque licebat. [*Confer solennes triumphi ritus Part. II. Sect. III. Cap. X. §. XLVI. Num. VII.*] Atque hæc merces & gratia apud *Romanos* fortiter militantium virtuti & fortunæ fuit habita.

IV. POENÆ.

§. 51. *Præmia* Romanorum militaria velut lætiora præmisimus, jam eorum sequuntur POENÆ, [*Part. II. Sect. III. Cap. X. §. II. Num. IV.*] quæ

I. vel

I. vel militum immorigerorum,
II. vel hostium devictorum.

Militum immorigerorum pœnæ.

§. 52. *Immorigerorum militum* pœnæ erant pro ratione delinquentium

א.) Sive *leviores*: ut

α.) Capere cibum atque potum stando, *quod de cœna intelligendum.*

β.) Dare hordeum pro tritico.

γ.) Tendere extra castra & vallum.

δ.) Discingere & turpi prostituere habitu.

ε.) Mutare ordinem militiæ; imò interdum extra omnem ordinem inter impedimenta & captivos projicere.

ζ.) Stipendia imminuere & privare.

η.)

ת.) Flagellare vite vel etiam rarò virgis.

ט.) Mittere cum ignominiâ, de qua infra. Part, II. Sect. III, Cap. XII.

ב. Sive *graviores*: ut

(a.) Capite multare, cùm delinquentes

1.) aut *fustuario* cæsi,

2.) aut *gladiis* subjecti,

3.) aut *lapidum mole* obruti &c. ad mortem usque puniebantur.

(b.) Immorigeros numero plures, e.gr. integras Centurias, Manipulos, Cohortes &c. sorte protrahere ad supplicia, quibus vel *decimus*, vel *vicesimus*, vel *centesimus* quisque &c. vel per *Decimationem*, vel per *Vicesimationem*, vel per *Centesimationem &c.* affligendus.

Hostium

Hostium devictorum poena.

§. 53. Animadversio in *devictos Hostes* duplici modô fieri solebat.

I. Quicunque abjectis & traditis armis faciebant deditionem, sub jugum mittebantur.

II. Quicunque autem nullâ deditione factâ vi pugnæ s. victoriæ capiebantur, *sub corona venibant*, vel alias etiam pœnas luere debebant.

V. LEGES QUÆDAM SPECIALES.

§. 54. Quinta pars *Disciplinæ militaris* (P. II. Sect. 3. Cap. X. §. 2. num. V.) continet *Leges quasdam speciales*, quæ nihil sunt aliud, nisi instituta militiæ scripta aut non scripta.

§. 55. *Leges s. jura* militiæ ex jure census profecta videntur. Constat enim *jus militiæ* idem fuisse cum jure

re legionis, in quam ſcilicet nullus adſcriptus, niſi ingenuus; & ex ingenuis nullus, niſi junior; & ex junioribus nullus, niſi, qui in quinque claſſibus cenſeretur, & artis ludicræ expers eſſet: Proinde ſervi, libertini, pueri, ſeniores, capite cenſi & hiſtriones repudiabantur, quos tamen poſtea adhibitos tradunt. Quantum autem ad ætatem militiæ, ea fuit ab anno XVII. ad usque annum XLVI. ex Servii inſtitutô.

§. 56. Inter has *leges militares* ſeverisſima fuit illa, quâ in eum, qui vel nummi unius argentei valorem abſtuliſſet, pœna fuſtuaria erat ſtatuta.

§. 57. Quin nec in hoſtico promiſcuè licebat prædari, ſed tantum pars quædam exercitûs ad eam rem mittebatur; ita tamen, ut omnis præda eſſet communis, eaque à Quæſtore vendita per Tribunos viritim diſtribueretur.

§. 58.

§. 58. Præterea ad *leges militares* quoque pertinent omnes eæ, quæ tractant de jure triumphorum, stipendiorum, pœnarum &c. &c. verùm de his sparsim suo loco in antecedentibus.

CAP. XI.

De præcipuis bellis & præliis Rom.

§. 1. Vix jacta Urbis R. fundamenta, cum crebra *bella* & *prælia* oborta sunt, quæ (1) vel *durante regimine regio*; (2) vel *finito regimine regio* gesta.

§. 2. BELLA REGIMINE REGIO DURANTE GESTA. e. gr.

Cæminense.	Romuli	Bella.
Sabinum.		
Camerinense.		
Fidenatense.		
Vejentinum		

Alba-

Bella	
Albanum. Fidenatenſe. Sabinum.	Tulli Hoſtilii.
Latinum: Vejentinum.	Anci Martii
Latinum Vejentinum Etruſcum.	Tarquinii Priſci
Etruſcum Vejentinum	Servii
Sabinum Volſcum Gabinum Ardeatinum Romanum	Tarquinii Superbi

§. 3. PRÆLIA REGIMINE REGIO DURANTE. e. gr.

Romuli

Romuli *prælia* contra Acronem & contra Tatium.

Horatiorum & Curiatiorum *prælium.*

Tulli Hoſtilii *prælium* contra Vejentes.

Horatii Cœlitis contra Etruſcos.

Mutii Scævolæ contra Porſennam.

Clœliæ virginis inſigne facinus.

Poſthumii Regillenſis *prælium* contra Tarquinios.

---

§. 4. BELLA FINITO REGIMINE REGIO. ex. gr.

Volſcum
Vejentinum & Faliſcum
Gallicum
Latinum
Samniticum
Tarentinum
Punicum primum

} *Bellum.*

Punicum

Punicum ſecundum
Punicum tertium
Macedonicum primum
Macedonicum ſecundum
Macedonicum tertium
Antiochenum
Gallo-Græcum & Ætolicum.
Achaicum
Aſiaticum
Liguſticum
Gallicum
Celtibericum
Numantinum
Luſitanicum
Viriathicum
Jugurthinum
Cimbricum
Mithridaticum I.
Mithridaticum II.
Mithridaticum III.
Allobrogicum
Gallicum

Bellum.

Par-

Parthicum
Euni servile
Salvii servile
Spartaci servile
Sociale s. Italicum s. Marsicum
Piraticum
Balearicum & Creticum

} *Bellum.*

§. 5. Huc quoque pertinent bella civilia: e. gr.

Syllanum.
Sertorianum.
Pompejanum.
Mutinense.
Philippense.
Perusinum.
Siculum.
Actiacum.

§. 6. PRÆLIA FINITO REGIMINE REGIO. e. gr.

A. Præ-

A. *Prælia,*

L. Quinti Cincinnati	*Adverſus*	Æquos;
A. Cornelii Coſſi		Tolumnium
T. Manlii Torquati		Gallum.
M. Valerii Corvini		Gallum.
T. Veturii		Samnites ad furcas Caudinas.
L. Papyrii Curſoris		Samnites.
Q. Fabii Rulliani		Samnites.
Q. Fabii Rulliani Senis		Samnites.
V. Lævini		Pyrrhum.
Decii		Pyrrhum.
M. Curii		Pyrrhum.

B. *Prælia.*

Appii Claudii	*Bello punico primò Adverſus* Carthaginenſes.
C. Duillii	
M. Attili Reguli	
L. Cæcilii Metelli	
Claudii pulchri	
Junii Pulli	
Q. Lutatii Catuli.	

C. *Prælia.*

P. Cornelii Scipionis Sempronii Flaminii Q. Fabii Cunctatoris Terentii Varronis Sempronii Gracchi C. Claudii Neronis & Livii Salinatoris L. Marcii P. Scipionis	*Adversus* Carthaginienses. *Bello punico secundo*

D. *Prælia.*

T. Quinti Flaminini L. Æmilii Pauli M. Acilii Glabrionis L. Cornelii Scipionis	*Adversus* Macedonas & Antiochum

E. *Prælia.*

M. Marcelli C. Marii	*Adversus* Gallos Gæsatas, Jugurtham, Teutonas & Cimbros.

F. *Præ,*

F. *Prælia.*

Syllæ Luculli Cn. Pompei M.	*Adversus*	Mithridatem & Tigranem.

G. *Prælia.*

C. Jul. Cæsaris	*Adversus*	Helv. in Æduis. Germanos. Nervios.
M. Licinii Crassi		Ambiorigem. Parthos.

H. *Prælia in bello Civili Marii & Syllæ.*

L. Cornelii Syllæ Cn. Pompeji Sertorii	*Adversus*	Carinatem & Marcium ad portam Collinam. Hiarbam & Domitium in Africâ. Pompejum ad Sucronem.

I. *Prælia in bello civili Pompeji & Cæsar.*

C. J. Cæsaris	*Adversus*	Pompejum ad Pharsalum. Ptolomæum ad Alexandr. Pharnacem in Ponto. Jubam & Scipionem ad Thapsum. Pompeji filios ad Mundam.

K. *Prælia in bello civili Triumvirorum.*

Octavii Cæsaris	*Adversus*	Antonium ad Mutinam.
Ejusdem & M. Antonii		Brutum & Cassium ad Philippos.
Octavii Cæsaris		Sex. Pompejum in Sicilia & Antonium ad Actium.

§. 7. Huc referri etiam possunt *Urbes* à Romanis *captæ* e gr.

Veji	*urbes captæ à*	Camillo.
Capua		Q. Fulvio Flacco.
Syracusæ		M. Marcello.
Carthago nova		P. Scipione.
Ambracia		M. Fulvio nobil.
Carthago vetus		Æmiliano.
Corinthus		Mummio.
Numantia		P. Scipione Æmiliano.
Athenæ		Cornelio Sylla.
Tigranocerta		Lucullo.
Avaricum		C. J. Cæsare.
Alesia		C. J. Cæsare.

CAP.

CAP. XII.

De modô milites dimittendi.

§. 1. Sicut militum deligendorum s. conscribendorum (*vid. P. 2. Sect. 3. Cap. 2.*) ita etiam *dimittendorum* certus quidam modus fuit observatus.

§. 2. Milites igitur militare desinebant per MISSIONEM, quæ duplex:

I. *Una honesta* scil. eorum; qui justam militiæ vacationem habebant,

1.) ob *ætatem*, si quis
 a.) vel minor 17. annis
 b.) vel major annis 50.

2.) ob *honorem* seu *Sacerdotium*. i. e. Si esset Magistratus seu Sacerdos.

3.) ob *emerita stipendia*; cum quis aut dena, si eques, aut vicena, si pedes, stipendia fecerat.

4.) ob *immunitatis beneficium*, si nempe quis quid fortiter gessisset; huic enim

A. vel ad tempus.
B. vel ad dies vitæ.
C. vel etiam ipsius liberis

jussu Magistratûs dabatur militiæ vacatio.

II. *Altera causaria* dicta, videlicet MISSIO eorum, quibus erat necessaria à militiâ vacatio

A. ob *imbecillam valetudinem*, morbus enim ingravescens excusabat,

B. ob *vitium corporis*; si cui aut manus abscissa, aut membrum debile;

C. ob *delictum*, cujus generis MISSIO etiam *Ignominiosa* dicitur.

§. 3. Quod si tumultus seu pugna ex improviso oriretur, nullus facilè locus vacationi concedebatur. Compertum enim est, bello Gallico ingruente, nullam vel ipsorum etiam Sacerdo-

dotum & senum fuisse vacationem.

NB. 1. Sub Augusto in usum venit *Exauctoratio*, cum onere militiæ, nisi pugnæ, soluti VETERANI & VEXILLARII fierent.

NB. 2. Aliud genus erat MISSIONIS, quod victis *Gladiatoribus* in celebratissimis illis ludis *gladiatoriis* datum, diversum erat à RUDE victoribus Gladiatoribus in signum *missionis* artis *gladiatoriæ* tributâ. Vid. Part. II. Sect. II. Cap. VI.



PARTIS SECUNDÆ
SECTIO IV.
De antiquo Romanorum ſtatu Oeconomico.

PRÆMONITA.

Vidimus hactenus ritus Romanorum publicos in ſacris, civilibus & militaribus, nunc etiam de eorundem ratione vivendi domeſtica quædam addenda, quorum quidem plurima non tam legibus, quàm inſtitutis & conſuetudine majorũ obſervabantur.

Omnia quæ huc ſpectant, ad ſequentia MEMBRA referri commodè poſſunt.

AD. I. MEMBRUM.
ORTUS STATUS OECONOMICI.

AD.

AD. II. MEMBRUM.

PROGRESSUS STATUS OECONOMICI.

AD. III. MEMBRUM.

EXITUS STATUS OECONOMICI.

I. MEMBRUM.

De ortu Statûs Oeconomici antiqui.

CAP. I.

DE NUPTIIS.

§. 1.

A *Nuptiis*, quæ nobis ſunto viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem (ſcil. ratione intentionis, non ratione eventûs) continens, ſtatus OECONOMICUS ducit primordia.

§. 2. In ipſis his NUPTIIS conſiderabimus

I. SPONSALIA.

II. PERSONAS, *inter quas nuptiæ celebratæ.*

III. TEMPUS *nuptiis dicatum.*
IV. RITUS NUPTIALES.
V. CONNUBIORUM DISSOLUTIONEM.

Sponſalia.

§. 3. Primum, quod conſiderabimus, continet *Sponſalia.*

§. 4. *Sponſalia* à ſpondendo nomen habentia nihil aliud erant, quàm mentio & repromiſſio futurarum *nuptiarum.*

§. 5. *Sponſalia* licèt nudò conſenſu fieri poſſent, plerumque tamen in tabulas præſentium annulis obſignatas referebantur.

§. 6. Quin & *annulus pronubus* quaſi arrhæ locô ſponſæ mittendus.

§. 7. *Sponſalia* hæc nullius quidem olim erant definitæ ætatis, ſed Auguſtô conſtituente ea demum juſtæ erant ætatis *Sponſalia*, quibus bienniô poſt legitimarum nuptiarum celebratio accedere poterat,

Per-

Perſonæ.

§.8 *Perſonæ* (vid. §. 2. h. cap.) connubia ineuntes certum olim debebant habere reſpectum

a.) *Nationis*: ne Romanus aliam, niſi Romanam duceret.

b) *Conditionis*: ne ſe ingenuus libertinæ, aut libertinus ingenuæ vinculô jugali ſociaret.

c.) *Gentis*: ne Patriciis cum Plebejis Romæ eſſet connubium.

d.) *Sanguinis*: ne quis in ducenda uxore contra quosdam ſanguinis gradus prohibitos impingeret.

Tempus.

§. 9. Tertium in *Nuptiis* notandum eſt *tempus*, (vid. §. 2. h. cap.) quod putabant aptisſimum poſt *Idus Junias* ſeu in *plenilunio*.

§. 10. E contrà mali ominis dies habebantur

Calendæ.

Nonæ.
Idus.
Majus mensis.
Parentalia.
Dies festi Saliorum.

Ritus.

§. 11. Quartò dicendum est de *Ritibus nuptialibus*, (vid. §. 2. h. cap.) ex quibus aliàs admodum variis sequentes notabimus.

I. Tribus modis contrahi solebant NUPTIÆ, nempe
a.) *Usu.*
b.) *Confarreatione.*
c.) *Coëmtione.*

II. Nullæ fiebant *Nuptiæ* nisi auspiciis sacris rite adhibitis.

III. Hastæ cuspide coma sponsæ erat dirimenda.

IV. Sponsa coronata & laneô cingulô à sponso posteà solvendô cincta apparebat.

V. Ea-

V. Eadem etiam *velô*,(quod vocabant Flammeum) obnubebatur.

VI. Ita ornata Sponsa è gremiô matris aut proximæ cujusdam cognatæ quasi vi abripiebatur.

VII. Vespertino tempore Sponsa ad domum Sponsi à *prætextatis pueris patrimis tribus* deducebatur.

VIII. Horum puerorum unus *facem* seu *tædam pineam* præferebat, reliqui autē duo nubentem tenebant.

IX. Sponsam præterea *ancillæ* cum colo, fuso & stamine sequebantur.

X. Tum magnus cognatorum, vicinorum & amicorum numerus *nuptiarum pompam* ducebat.

XI. Ab his aliquid *utensilium* in nupturæ usum ferebatur.

XII. Puer autem *Camillus* in cumero seu vase operto *crepundia* nascituro infanti gestabat.

XIII. Ædium porrò fores & postes

ribus & frondibus ornare solebant, ad quas, postquam accesserat Sponsa, interrogata, quænam esset, respondebat: *Ubi tu Cajus, ego Caja.*

XIV. Tum januæ postes lanâ seu laneis vittis ornabantur, adipeque lupinô seu suillô ungebantur, & hinc *Uxores* quasi *Unxores* dictæ.

XV. Limen ædium nova nupta non transire, sed *transilire* debebat; imò super illud quasi invita tollebatur.

XVI. Jam ingredienti nuptæ *claves* in signum curæ domesticæ porrigebantur.

XVII. Tum & *aquâ* & *igni* sponsus sponsam excipiebat, quia ex humore atque calore omnia gigni existimabant veteres.

XVIII. Adhibebantur porrò his ceremoniis singulis singuli Dii Deæque: nuptiales: e. g. *Deus jugatinus, Domiducus, Domitius, Manturna, Juno Unxia, Juno Interduca.*

XIX:

XIX. Deinde ſponſæ his ritibus domum ductæ, comitibusque ejus *cœna nuptialis* à ſponſo ſeu ſponſi parentibus dabatur.

XX. *Tibicines* nuptialibus hiſce epulis interveniebant.

XXI. Convivæ interea *Thalaſſionem*, non ſecus ac Græci *Hymenæum*, invocare ſolebant.

XXII. Paulò pòſt à novo marito *nuces* ſpargebantur pueris.

XXIII. Pueri autem carmina quædàm obſcœna (*Feſcennina* dicta) cantare debebant.

XXIV. Interea lectum nuptialem ſeu genialem ſternebant.

XXV. Varia Deorum Dearumque ſimulacra in ipſum cubiculum inferebant: ex. gr. *Priapi*, *Veneris*, *Deæ Virginenſis*, *Dei Subjugi*, *Deæ Premiæ.*

XXVI. Poſtea nova nupta in *cubiculum* introducebatur, & prætex-

tati

tati eiusdem *fax*, (qui prælux dicebatur) ab amicis utriusque abripiebatur.

XXVII. Demum sponsa *lectum* sponsi genialem, in quo eam collocabant *Pronubæ*, adibat, ubi cingulum (vid. P. II. Sect IV. Cap. I. §. XI. Num. IV.) *Herculaneô nodô* vinctum boni ominis causâ à marito sponsæ solvebatur.

XXVIII. Postridie nuptiarum epulæ, quas vocant *Repotia*, apud novum maritum redintegrabantur.

XXIX. Et quemadmodum novæ nuptæ à cognatis & affinibus *munera* mittebantur, ita hi vicissim à Marito *Apophoreta* accipiebant.

XXX. Tamdem nova nupta uxorium statum inchoatura à *re divina* faciendâ in domo sui Mariti initium capiebat.

Connubiorum Dissolutio.

§. 12.

§. 12. Quintò ad nuptias aliquo modô *Diſſolutionem connubiorum* (vid. P. II. Tect. IV. Cap. I. §. 2. Num V.) referre poſſumus: nam ſicut modi habendi uxorem (P. II, Sect 4, C, I §. IX.) triplices, i. e.

a.) *Uſu.*
b.) *Confarreatione.*
c.) *Coëmtione.*

ita viciſſim connubia triplici modô diſſolvebantur; nempe

a.) *Uſurpatione.*
b.) *Diffarreatione.*
c.) *Remancipatione.*

§. 13. Cæterum illa *connubiorum diſſolutio* dicebatur

vel Divortium,
vel Repudium.

§. 14. Erat tamen hæc inter *Divortium* & *repudium* differentia, ut hoc *ſponſa* remitteretur hâc ſub formulâ: *conditione tua non utor*; illud autem

ſic-

fieret cum *uxore* sub hâc formulâ: *Res tuas tibi habeto*; vel *res tuas tibi agito.*

§. 14. Quamvis quidem *dissolutio connubiorum* lege apud Romanos esset licita, primus tamen circa annum U.C. 520. *Divortium* fecisse perhibetur *Sp. Carvilius Ruga.*

CAP. II.

DE

Diversis personis Oeconomicis.

§. 1.

HActenus de Nuptiis, nunc de DIVERSIS PERSONIS OECONOMICIS, quæ sunt

I. Maritus & Uxor.

II. Parentes & Liberi.

III. Dominus & servus, a.

MARITUS & UXOR.

§. 2. *Uxor* erat in manu seu potestate *Mariti*, ita ut sine eo auctore nec testari, nec contrahere posset.

§. 3.

§. 3. Uxorum genera duo tradunt: unum fuiſſe *Matronarum*; alterum *Matrumfamiliâs*.

§. 4. Præterea Uxorum *delicta duo* exiſtimabantur graviſſima:

1.) Si pudicitiam violâſſent.

2.) Si vinum bibiſſent.

Non minus enim mulctabantur, ſi quæ vinum bibiſſent, quàm ſi probrum & adulterium admiſiſſent.

§. 5. *Maritis* quidem jus fuit *Uxores* in adulterio deprehenſas necandi, his autem (ſcil. *Uxoribus*) ne digitô quidem *Maritos* in tali caſu contingere licebat.

§. 6. Quæ hìc de diſſolutione connubiorum dicenda videntur, adfuerunt *præced*, *Cap. I. Num. V. §*. *12--14. Part. II. Sect. hac. IV*.

PARENTES & LIBERI.

§. 7. Huc referimus *jus patriæ poteſtatis*, quod Cives Romani in liberos ha-

habuerunt planè ſingulare: (*Vid.* §. 2. *Inſt. de P. P.*) nam non ſolùm bona, ſed etiam vita & libertas liberorum ſub parentum fuit poteſtate.

§. 8. Liberi parentum poteſtate liberabantur *Emancipatione*. §. 6. Inſt. Quibus modis J. P. P. S.

§. 9. Per *Adoptionem* & *Arrogationem* in locum filii aut nepotis aſſumebantur, qui naturâ tales non erant.

§. 10. *Nobilitas*, quæ olim in jure imaginum conſiſtebat, per *adoptionem* acquiri poterat, ſic ut *ignobilis* hac mediante tum temporis factus fuerit *Nobilis*.

DOMINUS & SERVUS, A.

§. 11. In poteſtate Dominorum erant ſervi, ita ut illi in hos antiquis Romanorum temporibus vitæ necisque haberent poteſtatem.

§. 12. Servi à ſervando dicti
aut naſcebantur;
aut fiebant.

§. 13.

§. 13. *Naſcebantur* ſervi ex Dominorum ancillis, vel etiam ex mulieribus, cum quibus connubium nullum erat.

§. 15. *Fiebant* aut jure Civili;
aut jure gentium.

§. 15. *Jure Civili*, ſi quis ſe pretii habendi causâ venire paſſus eſſet.

§. 16. *Jure gentium* fiebant ſervi, ſi qui bello capti,
aut ab Imperatore donati,
aut ſub haſtâ venditi,
quæ una juſta ſervitus à veteribus eſt habita.

NB. Si quià prædonibus capti veniſſent, non judicabantur ſervi.

§. 17. Per MANUMISSIONEM, quæ tribus potiſſimum antiquitus fieri ſolebat modis, nempe
CENSU,
VINDICTA.
TESTAMENTO.

ſervi

servi ex justa servitute *manumissi* libertatem impetrabant.

§. 18. Ex diversis illis personis œconomicis progressu temporis integræ surgebant GENTES & FAMILIÆ.

§. 19. *Gentis* appellatio apud Romanos latius, quàm *familiæ* patuit, ita ut una *gens* plures quandoque *familias* complexa fuerit, e. gr. *gens Æmilia* complectebatur

Mamercos,
Barbulas,
Pappos,
Regillos,
Paulos,
Scauros,
Lepidos,

§. 20. Similiter *Gens* Antonia, Aurelia, Cæcilia, Calphurnia, Claudia, Patricia & Plebeja, Cornelia, Domitia, Fabia, Fulvia, Julia, Junia, Licinia, Livia,

Livia, Lutatia, Manlia, Maria, Marcia, Mucia, Octavia, Pompeja, Porcia, Quinctia, Sempronia, Servilia, Sulpicia, Tullia, Ciceronum, Valeria &c. &c. *alias atque alias* complectebantur *familias*.

§. 21. Ne autem gens cum gente, ne familiæ ejusdem tum gentis, tum familiæ *nominum* ſimilitudine inter ſe confunderentur, adhibita ſunt

Prænomina,
Nomina,
Cognomina,
Agnomina,

quæ (ſcil. *Agnomina*) etiam ſæpe *Cognomina* dicuntur.

§. 22. *Prænomina* fratrem à fratre, ſeu perſonam à perſonâ; *Nomina* gentem à gente; *Cognomina* familiam à familia diſtinguebant. *Agnomina* autem uni alicui perſonæ ex eventu aliquo impoſita familiæ ejus deinceps inhærebant.

rebant.

rebant. ex. gr. *P. Cornelius Scipio Africanus* & *L. Cornelius Scipio Asiaticus*, ambo fratres ex Cornelia gente & Scipionum familia. Utrique nomen & cognomen commune: Utrumque enim fratrem *nomen* Cornelius à gente alia tum Fabia, tum Claudia, & *cognomen* Scipio ab aliis Corneliæ gentis familiis, ut Lentulis, Cethegis &c. separant. *Prænomina* Publius & Lucius sunt diversa, & sicut hæc alterum ab altero fratre, ita *Agnomina* Africanus & Asiaticus victoriam unius à victoriâ alterius distinguunt.

§. 23. *Prænomina*, quod ad tironum usus notandum, variè notabantur.

I. *Aliquando literis singularibus*: ut A. C. D. K. L. M. M, N. P. Q. T. i. e. Aulus, Caius, Decimus, Cæso, Lucius, Marcus, Marius, Numerius, Publius, Quintus, Titus.

II. Ali-

II. *Aliquando binis literis*: ut
Ap. i. e. Appius.
Cn. i. e. Cnejus.
Sp. i. e. Spurius.
Ti. i. e. Tiberius.

III. *Aliquando tribus literis*: ut
Mam. i. e. Mamercus.
Ser. i. e. Servius.
Sex. i. e. Sextus.

Hæc de virorum, jam de *mulierum nominibus*.

§. 24. Antiquitus quidem *mulieribus* prænomina, *Caja, Lucia, Mutrulla &c. &c.* imposita, literisque inversis Ↄ. ⅃. W. scripta; postea autem etiam *nominibus gentilitiis* usæ fuerunt. ex. gr. si unica filia, dicebatur *Cornelia, Tullia* &c. si duæ, *Cornelia major, Cornelia minor; &c.* si plures *Cornelia prima, secunda, tertia, quarta, &c.* Vel ut nomina sonarent suaviora, *Secundilla, Quartilla, Quintilla.*

§. 25. Præterea certum quoque tempus imponendi tum nomina, tum prænomina observabatur. Et *nomina* quidem infantibus die lustricô imponebantur, qui pueris erat nonus, puellis octavus: sed *prænomina* pueris, cum togam virilem, puellis, cum nuberent, dabantur.

§. 27. *Filii adoptivi* aliquando nomen gentis, aliquando cognomen familiæ ita retinebant, ut nomen inflecterent, cognomen autem assumerent integrum.

§. 27. *Servos* inter & *Libertos* ratione *nominum* notanda differentia, ut illi

I. vel Domini *prænomen* paulò aliter inflexum ferrent, ex. gr. *Lucipores* i. e. Lucii puer.

II. vel ut à gente, unde essent oriundi, seu ab alio quodam eventu appellarentur *Syrus*, *Geta*, *Tiro*, *Laurea*, &c.

hi

hi autem (ſcil. *Liberti*) priſtinorum dominorum *prænomina* & *nomina* gererent, quibus *cognominis* locô antiquum *nomen* ſervile addere ſolebant: ex. gr. *Tiro* ſervus à *M. Tullio Cicerone* libertate donatus dicebatur *M. Tullius Tiro.*

§. 28. Haud eadem tamen nominum Romanorum ratio florente & deflorente ſeu eversâ republ. Romana fuit. Tantum de diverſis perſonis œconomicis, deque earum gentibus, familiis & nominibus. Sequitur *progreſſus ipſius ſtatûs Oeconomici.*

II. MEMBRUM.
De progreſſu ſtatûs Oeconomici antiqui.
PRÆMONITA.
MAteria de apparatu *in progreſſu ſtatûs œconomici* neceſſariô ad

ſequentia capita aptè reduci poter
quorum aget

CAP. I.

De Domibus.

§. 1.

IN *domibus* apparent earum

I. Partes.

II. Supellectilia domeſ-ca ſtrictè ſic dicta.

§.

§. 2. Domorum *partes* erant primariæ:

Veſtibulum.
Atrium.
Januæ &c.

§. 3. *Veſtibulum* erat locus vacuus, per quem de via ad foręs patebat aditus, in quo præſtolari, qui ſalutatum venerant, vel, ſi conventu opus foret, tempus operiri ſolebant, quod quidem primâ aut alterâ diei horâ eſſe conſuevit.

§. 4. In *atriis* conſpiciebantur
Imagines Deorum penatium,
Principum & patronorum familiæ,
Spolia bellica,
Pinacothecæ,
Gynecæum.

§. 5. *Januas* à Jano dictas variáque ex materia fabrefactas cuſtodiebant *Janitores*, qui utplurimum ſervi

cate-

catenis religati, vel etiam canes valentissimi.

§. 6. *Supellectilia* (strictè sic dicta) *domestica* erant

Specularia,
Canales,
Harpagones,
Centones,
Scalæ,
Perticæ,

quæ nemini, licèt demigraret in aliud habitaculum, auferre licitum.

CAP. II.

De Mensis.

§. 1. In *mensis* Romanorum notanda earum

I. Materia.
II. Forma.
III. Ornatus.

§. 2. *Materia* ex qua *mensæ* fabrèfactæ, varia pro ratione temporis exstitit, ex. gr.

I. Ulvæ

I. Ulvæ paluſtres.
II. Acer.
III. Æs.
IV. Argentum.
V. Citrus.
VI. Ebur.
VII. Laminæ aureæ.
VIII. Laminæ putaminum teſtudineorum.

§. 3. Ratione *formæ* conſtat, menſas fuiſſe
a.) quadratas
b) rotundas ſ. circulares
c.) inſtar Sigmatis Græci.
d.) inſtar C. Latini dimidiatæ lunæ effigie, &c.

§, 4. *Ornatus* menſarum alius atque alius luxuriante fuit republ. Romanâ. Olim autem *ornabantur* menſæ eodem tapetū apparatu, quo ſcenæ,
vel ferarum pellibus,
vel byſſinô periſtromate.

CAP. III.

De Poculis.

§. 1. *Poculorum* contemplabimur

- Materiam,
- Formam,
- Species,
- Contentum.

§. 2. Materia poculorum, ut relatum legimus, iidem fuit varia. ex. gr.

- Terra Samia.
- Fagus.
- Lignum oleagineum.
- Lignum hederaceum.
- Cornua bovina.
- Vitrum.
- Chrystallus.
- Murrha.
- Electrum.
- Argentum.
- Aurum & gemmæ auro insertæ.

§. 3.

§. 3. Quantum ad *formam* poculorum, nonnulla eorum fuerunt.

Panda.
Angusta.
Oblonga.
In navigii modum } efficta.
Vel tympani formam } efficta.
Vel cum ansis.
Vel sinè ansis &c.

§. 4. Sub *generali* poculorum nomine variæ comprehendebantur *species*.
I. Quædam *certæ mensuræ*: ut (*a*.)
II. Quædam *incertæ mensuræ*: ut (*b*.)

(*a*.)	(*b*.)
Culei.	Crateres.
Amphoræ.	Scyphi.
Urnæ.	Calices.
Congii.	Cymbia.
Sextarii.	Cululli.
Heminæ.	Pateræ.
Cyathi &c.	Canthari &c.

§. 5. Respectu poculi, quod continens, potus fuit *contentum*, §. 6.

§. 6. *Potus* antiquissimus maximèque simplex fuit AQUA, qua
vel frigidâ,
vel calidâ
uti solebant.

§. 7. Interdum, æstatis præcipuè tempore locô aquæ frigidæ vino diluendo indebatur
aut *glacies* in frusta dissecta,
aut *nix* frigore concreta.

§. 8. Accessit hominis quasi proprius potus nempe *vinum*, substantia illa liquida & nobilis ex uvis expressa.

§. 9. *Vinum* veteres appellârunt *temetum*, unde ebrii dicti sunt *temulenti*; item *abstemii*, *abstemiæ*, qui vel quæ *temeto* id est vinô abstinuerunt.

§. 10. *Vinum* optimum ætate æstimabatur.

CAP. IV.

De Conviviis.

§. 1. Ad *Convivia* pertinere videntur sequentia; I.Ci-

I. Cibos capiendi tempora.
II. Cibus & potus ipse.
III. Ratio accumbendi.
IV. Alii quidam ritus solennes.

Cibos capiendi tempora.

§. 2. Olim quidem semel tantum quotidie Romani *cibum capiebant*, horâ nempe nonâ diei naturalis; sed crescente luxu *cibos capiendi tempora* quinque fuisse reperimus:

1.] manè, *jentaculum.*
2. circiter meridiem, *prandium.*
3.] haud multò pòst *merendam.*
4.] sub horam nonam *coenam.*
5.] noctu *comessationem.*

Inter autem hæc cibos capiendi tempora prævaluit *cœna*, præcipuè in *conviviis* solennibus.

Cibus & potus.

§. 3. Quamquam priscô ævô R. *cibi* simplicissimi, & cœna plerumque *pulte*,

oleribus,

vel carne,

omnibus simul mensæ illatis constabat, postea tamen cœnam in tres divisam esse partes legimus, nimirum

I. In *gustum* s. *gustationem*, vel, si mavis, in *antecœnam* s. *antecœnium*, quæ pars etiam dicta *promulsis*.

II. In ipsam *cœnam*

III. In *mensas secundas* s. *mensas pomorum*.

Atque in tribus hisce cœnæ partibus ad luxuriam usque mensæ variis ferculis & missibus erant instructæ.

§. 4. De *potu*, vide sîs, proximè præcedens *Cap. III. §. 6-9.*

Ratio accumbendi.

§. 5. Olim quidem prisci Romani sedentes, sed postea *accumbentes* convivabantur.

§. 6. Hunc in finem circum mensam

tres

tres ordinariè erant *lecti* dispositi, (unde *triclinium*) rariùs duo, (unde *biclinium*) strati magìs aut minus pretiosis stragulis pro copiâ & inopiâ convivatoris.

§. 7. *Honoratior locus* in his lectis habebatur *medius*, & post eum *summus*.

Alii quidam ritus conviviales.

§. 8. Ad convivia denique referre debemus alios quosdam *ritus*, inter quos notandi sunt sequentes.

I. Ante cœnam Romani (a.) se lavabant, (b.) vestem mutantes *synthesin* sumebant, & (c.) *soleas* deponebant.

II. Convivantes *sertis* redimiti & *unguentis* perfusi conspiciebantur.

III. Initio cœnæ *Magistrum*, quem alii vocant *Symposiarcham*, sorte eligebant, ut leges convivio ferret, modumque bibendi præscriberet.

IV. Antequam cœnarent, dabatur *ſcheda*, in qua notatum legebatur

A. *quot*,

B. *quæ*,

C. *quóve ordine*,

obſonia eſſent apponenda

V. *Menſæ conſecratio* fiebat

Salis appoſitione &

Vini libatione.

VI. Inter cœnandum *frugaliores* vel ex comœdis, aliisque poëtis aliquid legi curabant, vel Muſicam adhibebant. *Luxurioſi* autem

Laſcivas ſaltationes,

Pantomimos &

Ludos gladiatorios

adornare ſolebant.

VII. Interdum tot *ſcyphi* exhauriendi, quot *literæ* in nominibus

vel Deorum,

vel Principum,

vel

vel Amicorum chariorum, in quorum honorem bibebant, legebantur.

VIII. Sæpius jubebatur, ut quisque ſuô epotô poculô *quæſtionem* quandam amœnam in medium proferret.

IX. Denique ii, quicunque contra *convivii leges* peccaverant, cyathi unius eductione mulctabantur.

CAP. V.

De re veſtiariâ.

§. 1.

JAm ſequitur ordine *res veſtiaria*, quæ nobis complectitur

I. Viriles } Romanorum
II. Muliebres } Veſtes.
III. Communes }

Viriles Veſtes.

§. 2.

§. 2. Vestes *viriles* olim tantum duæ maximè in usu fuerunt, scilicet
TOGA &
TUNICA.
Hæc interior, illa exterior.

§. 3. Observandæ quædam TOGÆ species variæ: ut sunt
Prætexta.
Virilis.
Candida.
Pulla.
Sordida.
Purpurea.
Picta.

§. 4. Præter TOGAM certis etiam temporibus usi sunt
Trabea,
Pallio,
Chlamyde,
Lacernâ,
Paludamento,
Ricinio,

Lænâ

Lænâ,

Sagô &c.

§. 5. Sinè TUNICA etſi Romani olim incedebant, poſtea tamen unam, deinde duas induebant, quarum interior *Interula* vel *ſubucula*, ſuperior, *Superaria* dicebatur.

§. 6. TUNICARUM quoque

aliæ *Laticlaviæ*,

aliæ *Anguſticlaviæ*.

Muliebres veſtes.

§. 7. Veſtes *muliebres* erant

Stola,

Faſciæ,

Mitræ,

Reticulum,

Vittæ,

Flammei,

Inſtita,

Palla,

Plagulæ,

Capitia, &c.

Veſtes

Vestes communes.

§. 8. Vestes *communes* erant
Toga *olim.*
Tunica,
Pœnula,
Pallium &c.

§. 9. Porrò *rei vestiariæ* addenda censemus

A. Ritum Gabinum.
B. Annulos.
C. Ballas.
D. Calceamenta.
E. Vestium mutationem.

Ritus Gabinus.

§. 10. Certa quædam togam componendi ratio dicebatur *ritus Gabinus.* Fiebat autem hôc modô, *ut togæ lacinia, quæ sinistro brachio vulgò imponi solebat, primum contrahenda, deinde ita retrahenda ad pectus, ut in nodum, qui togam breviorem redderet, necteretur.*

Annuli.

Annuli.

§. 11. Romæ antiquissimo ævo vel nullus, vel paucus *annulorum* fuit usus, postea Senatus omnis, at *ferreis*; ii verò soli *aureis*, qui vel triumphare, vel legationem obire deberent, usi sunt: deinde ut *latus clavus* Senatui, ita equestri ordini *aureus annulus* fuit insigne: plebejis enim florente Repl. prohibebatur.

§. 12. Denique eò progressa fuit libido *annulorum*, ut singuli digitorum articuli *annulis* ornarentur, *annulique* essent

vel *leviores* & *graviores*,
vel *æstivi* & *hyemales*.

Bullæ.

§. 13. Origo bullarum petenda videtur à Tarquinio Prisco, qui filium suum adhuc puerum *bullâ* donavit.

§. 14. *Bulla* ex auro sæpius, interdum etiam ex argento alióve metallo, in cordis figuram efformata pueris

nobi-

nobilium seu patririorum fuit ornamento, ut aspectu illius (scil. *bullæ*) incitati se domi forisque fortes præstarent.

Calceamenta.

§. 15. Initio nascentis reipublicæ non solùm servi, sed & Senatores ipsi *nudis* incedebant pedibus.

§. 16. Dein *calceamenta* duplicis plerumque fuisse generis, constat: Puta *Calceos* &
Soleas.

§. 17. Præter notos illos calceos *mulleos & lunulatos*, item præter *perones & puros* etiam aliæ quædam calceamentorum species notandæ: nempe *calceamenta*

Sacerdotum,
Imperatorum,
Militum,
Venatorum,
Comicorum,
Servorum,

Ma-

Matronarum,
Meretricum &c.

§. 18. Proinde ætas, ſexus, dignitas, & officia &c. *veſtitu*, præcipuè *calceis* inter ſe diſtinguebantur.

Veſtium mutatio.

§. 19. Mutatio Veſtium fiebat
vel in *luctu*,
vel in *rebus lætis*.

§. 20. In *luctu* Senatores laticlaviis depoſitis, *anguſticlaviis* utebantur; Magiſtratus ſinè *prætextâ*; equites ſinè *clavo*, reliqui Romani *ſagati* incedebant.

§. 21. In lætitia *candidas* plerumque veſtes eligebant.

CAP. VI.

De re pecunaria & unà de Inſcriptionibus.

§. 1.

PRiſcô Romanorum ævô *pecuniam ſignatam* in uſu fuiſſe, haud liquet: nam vel

vel mercium permutatione,
vel certô metallorum pondere
appensô,
commercia exercebantur.

§. 2. Subſequenti autem tempore ipſi veteres Romani *pecuniam ſignare* cœperunt.

I. ex *ære* temporibus Servi Tullii Regis. ex. gr. *Aſſes* &c.

II. ex *argentô* A. U. C. 484. ſ. 499. ex. gr. *Denarios* &c.

III. ex *aurô* 60. circiter annis ſeriùs, ex. gr. *Solidos* &c.

§. 3. Omnis fere *supputatio pecuniæ Romanæ* ad *pondus* & ejus partes ex acta fiebat ut plurimum per

Aſſes,
Seſtertios,
Denarios,
Minas,
Seſtertia,
Talenta,
Drachmas, &c.

§. 4.

§. 4. Numiſmata Romana non ſolùm ratione *materiæ*, (vid. §. 2. h. cap.) ſed etiam ratione

I. formæ,
II. loci,
III. diverſi ſtatûs Reipubl.
IV. figuræ impreſſæ diverſa à ſcriptoribus rei nummariæ conſiderantur.

§. 5. Ratione *formæ* numiſmata dividi poſſunt in tres *modulos* ſcil. in

Maximum,
Medium,
Minimum modulum.

§. 6. Ratione *loci* numiſmata R. quoque erant diſtincta, ſiquidem concedente Populo Romano plurima in *provinciis* à *civitatibus* cuſa. *Vide Harduinum de nummis populorum & urbium, & Vaillantium de nummis Coloniarum.*

§. 7. Ratione *diverſi* Reipubl. Romanæ

manæ *ſtatûs* numiſmata partiri ſolent

In Conſulares &
Imperiales ſeu Cæſareos.

§. 8. Ratione figuræ impreſſæ, à qua diverſè denominantur, numiſmata R. inter ſeſe differebant. Hinc ab antiquariis

Alia Victoriata,
Alia Bigata,
Alia Quadrigata,
Alia Ratita, &c.

dicuntur.

§. 9. Quomodo pecuniæ Romanæ *valorem* cum noſtra conferre poſſimus, affixa tabula ex *Hoepfneri Roma antiqua* pag. 300. ſub Lit. A. deſumta docet.

§. 10. Porrò *abbreviaturarum* (ut barbarè loquar) lectio in re nummaria Rom. cognoſcendâ admodum neceſſaria. Ex multis paucas notabimus.

A. A. A. F. F. *lege* ære, argento, auro, flando, feriundo. A, Au-

Obolus
1 assis
2 asses
dupon
$2\frac{1}{2}$
5
10
20
40

A. Aulus.
ADIAB. Adiabonicus.
AED. CUR. Ædilis curulis.
AED. PL. Ædilis plebis.
AET. Æternitas.
ALIM. ITAL. Alimenta Italiæ.
ARAB. ADQ. Arabia adquiſita.
BRIT. Britannicus.
BON. EVENT. Bonus eventus.
CAE. A. Cæſarea Auguſta.
CENS. P. Cenſor perpetuus.
C. L. V. Colonia Julia victrix.
CIR. CON. Circum condidit, *ſive* Circenſes conceſſit.
CIVIB. ET. SIGN. MIL. A. PARTH. RECUP. Civibus & ſignis militaribus à Parthis recuperatis.
COL. NEM. Colonia Nemauſenſis.
CONS. SUO. Conſervatori ſuo.
CL. V. Clypeus votivus.
CL. Claudius.
CUR. X. F. Curavit denarium faciendum.

D. M. Diis Manibus.
D. P. Dii Penates.
EX. S. C. Ex Senatûs consulto.
EX. A. PU. Ex Auctoritate publica, *seu* ex argento publico.
ETR. Etruscus.
G. P. R. Genio populi Romani.
JAN. CLV. Janum clusit *seu* clausit,
J S. M. R. Juno Sospita, Mater Regina.
ITE. Iterum.
H. S. Sestertius.
J. O. M. SACR. Jovi Optimo Maximo sacrum.
II. VIR. Duumvir.
III. VIR. R. P. C. Triumvir reipublicæ constituendæ.
IIII. VIR. A P. F. Quatuorvir auro *seu* argento publico feriundo.
LEG. PROPR. Legatus Proprætorius.
LENT. CUR. X. F. Lentulus curavit denarium faciundum.
LUD. SAEC. F. Ludos sæculares fecit.

MAR. CL. Marcellus Clodius.
M. F. Marci filius.
MON. Moneta.
MAR. ULT. Marti ultori.
N. C. Nobilissimus Cæsar.
N. N. Nostri *seu* nostrorum.
NEP. RED. Neptuno reduci.
OB. C. S. Ob cives servatos.
P. M. Pontifex Maximus.
P. F. Pius, felix.
P. P. Pater patriæ.
P. *seu*. POT. Potestate.
P. R. Populus Romanus.
MAR. CL. Marcellus Clodius.
PRON. Pronepos.
PRIV. Privernum.
Q. C. M. P. I. Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.
Q. P. Quæstor Prætorius.
Q. P. R. Quæstor Provincialis.
R. P. Respublica.
SEC. ORB. Securitas orbis.

TR. P. Tribunitiâ poteſtate.
VII. VIR. EPUL. Septemvir Epulonum.
VIB. Vibius.
VIC. Victoria.
VOT. X. MULT. XX. Votis decennalibus multiplicatis vicenalibus.
XV. VIR. SACR. FAC. Quindecim vir. ſacris. faciundis.
XIX. Octavum Decimum.

§. 11. Plurimus rei pecuniariæ veteris uſus eſt,

I. In *chronologia* corrigenda.
II. In *hiſtoria* ſupplenda.
III. In *orthographiâ* ad certas rationes reducendâ.
IV. In cognoſcendis variis *Antiquitatibus* ex. gr.
a) Sacrificiorum,
b) Structuræ templorum,
c) Rei veſtiariæ.
d) Triumphalis pompæ,

e) Conſecrationis, &c. &c.

Inſcriptiones.

§. 12. Rei nummariæ ob convenientiam materiæ adjicimus Inſcriptiones veterum Rom., quas in *Lapidibus, Metallis, Gemmis &c.* de vario hiſtoriæ reliquarumque ſcientiarum argumento exſculpſerunt.

§. 13. In hoc inſcriptionum genere notabimus earum

I. ORIGINEM & TEMPUS.
II. CLASSES.
III. STYLUM.
IV. ORTHOGRAPHIAM.
V. COMPENDIA EXARANDI ſeu *ſcribendi vulgò* ABBREVIATURAS.
VI. USUM.

Origo & tempus Inſcriptionum.

§. 14. Origo *Inſcriptionum Romanarum* petenda ex Græcia.

§. 15. *Tempus*, in quo usus inscriptionum apud Romanos cœpit, accuratè haud liquet. Antiquissimæ saltèm inscriptiones, quas ad nos pervenisse novimus, sunt

A) *Tulliana* A. U. C. 493. in victoriam quandam maritimam facta.

B) ut & *illa*, quæ A. U. C. 494. in memoriam Scipionis Barbati exarata.

Classes inscriptionum.

§. 16. Variæ sunt *classes*, ad quas ab Antiquariis inscriptiones referuntur

CLASSIS.
- I. est Diis dedicatorum.
- II. Operum publicorum ex. gr. Templorum, Amphitheatrorum, &c.
- III. Imperatoribus dedicatorum.
- IV. Consulum, Dictatorum atque aliorum Magistratuum, ex. gr. *Fastorum*, &c.

V. Sa-

CLASSIS.

V. Sacerdot. Mag. ac Miniſtris Sacr. dedicatorum.

VI. Gladiatorum, Venatorum, Agitatorum Circenſ., Ludionum. &c.

VII. Magiſtratuum Majorum Minorumque, item Honoratorum toto Imperio Rom.

VIII. Senatûsconſultorum, Decretorumque publicorum, &c.

IX. Militum.

X. Officiorum Domûs Auguſtæ privatorum & Libertorum.

XI. Officiorum, Artiumque minorum.

XII. Negotiationum, Artium & Studiorum.

XIII. Affectûs Parentum erga Liberos.

XIV. Affectûs Liberorum erga Parentes.

XV. Affectûs Conjugum.

CLASSIS.

XVI Affectûs fratrum atque ſororum.

XVII. Affectûs Hæredum, Cognatorum, Familiarum, Propinquorum.

XVIII. Affectûs Dominorum ac Patronorum erga Servos, Libertosque & contrà.

XIX. Affectûs Servorum & Libertorum inter ſe & in ſuos.

XX. Monimentorum ſingulariorum ab incertis poſitorum.

XXI. Auctarii illarum Inſcriptionum, quæ peculiare aliquid habent præ reliquis antiquis.

XXII. Inſcriptionum Chriſtianarum, quæ, quatenus Latinæ, etiam Romanis certo ſub reſpectu annumerandæ.

XXIII. Spuriorum ſeu Suppoſitiorum.

XXIV. Epitaphiorum joco-ſeriorum.

XXV.

XXV. Inscriptionum Ænigmaticarum.

Stylus Inscriptionum

§. 17. Inscriptionum Stylus *Lapidarius* (uti loquuntur) licèt facilis, simplex & à sublimiori Rhetorum pompâ alienus, non tamen planè ab omnibus argutiis & ingeniósâ inventione fuit remotus. ex. gr.

Decipimur votis, & tempore fallimur, & mors
Deridet curas, anxia vita nihil.

Gruter. 677. 12.

* * * *
* * *
* *
*

Fui. dixi de vita mea. Satis.
Fui probata.
Quae, viro. placui, bono.

Gruter. 343. 3.

* * * *
* * *
* *
*

§ 18. Grammatici inter sese dispu-

tant, & adhuc sub judice lis est; num stylus ille lapidarius *purus* sit, nec ne? ℞. Nolumus in hoc breviario nostram illorum facere litem: dabitur enim in subsequenti nostro perfectiori Antiquitatum Romanarum (*vid. præfation. nostram huic breviario præfixam.*) opere prolixior ea de lite ditimenda differendi campus. Sufficiat jam dixisse, plurima in *Inscriptionibus Veter. Rom.* occurrere, quæ primo intuitu cum *puris* Grammaticorũ regulis apertè pugnare videntur, quemadmodum ex sequentibus manifestum fiet exemplis;

Ab aliquis *pro* ab aliquibus.

Ab ædem *pro* ab æde.

Cum ferarum Libycarum *pro* cum feris Libycis.

Hic munimentus *pro* hoc monimentum.

Ardente lucernam *pro* ardentem lucernam.

Pro

Pro salutem *locô* pro salute. &c. &c.

Inscriptionum orthographia.

§. 19. Veterum Romanorum *orthographiam* in multis ab hodierno nostro usu aliquo modô remotam fuisse, ex monimentis veterum Inscriptionum abundè apparet, ex. gr.

AU. pro O. Aulæi. e. Ollæ.
B. pro P. Collabsam i. e. Collapsam.
C. pro G. Aucustalis i. e. Augustalis.
D. pro T. Adtamen i. e. Attamen.
E. pro Æ. Cesar i. e. Cæsar.
F. pro Ph. Triumfus i. e. Triumphus.
H. *omittitur* in Omini *pro* Homini, Onestus *pro* Honestus.
I. pro A. Vocitus pro vocatus.
K. pro C. Karissimus i. e. Carissimus
L. *redundat* Ollim *pro* Olim.
M. pro N. Forsitam i. e. Forsitan.
N. pro R. Fontunatus *locô* fortunatus.
O. pro U. Dederont i. e. dederunt.

P. pro B. Apſens i. e. abſens.
Q. pro C. Mequm i. e. Mecum.
R. pro H. Rujus i. e. Hujus.
S. pro X. Cojus. i. e. Conjux.
T. pro D. Aliut i. e. Aliud.
U. pro I. Infumo. i. e. Infimo.
Y. pro U. Jyxta i. e. Juxta.
Z. pro S. Lezbia i. e. Lesbia, &c. &c.

§. 20. Plura non addimus exempla: Cape tamen & hoc, plurimos antiquæ Orthographiæ errores (ut ita loquar) incuriæ Lapicidarum eſſe adſcribendos

Compendia exarandi ſ. ſcribendi vulgò *Abbreviaturæ* Inſcriptionum.

§. 21 Sicut in re nummariâ, ita etiam in inſcriptionibus Rom. varia dantur compendia, vulgò *Abbreviaturæ*.

§. 22. Pauca ex multis commemorabimus. ex. gr.

A. L. F. Animo libens fecit.

A. O.

A. O. F. C. Amico optimo faciun-
undum curavit.
A S.S. A sacris scriniis.
B. D. S. M. Bene de se merenti.
C. V. P. V. DD. Communi volun-
tate publicè votum dedicârunt.
D. S. J. P. C. De suis impensis po-
nendum curavit.
E. T. F. J. S. Ex testamento fieri jus-
sit sibi.
FF. PP. FF. Fortissimi. Piissimi. Fe-
licissimi.
G. P. F. Geminæ piæ fidelis.
H. S. E. Hìc situs est.
J. O. M. D. Jovi. Optimo Maximo,
dicatum.
I. Imperator.
IMPP. Imperatores duo.
IMPPP. Imperatores tres.
K. Caja, s. Candidatus, s. Calendæ.
L. S. M. C. Locum sibi monimen-
to constituit.

MIL.

MIL. IN. COH. Militavit in Cohorte.

N. M. N. S. Novum monimentum nomine suo.

OB. AN. Obiit anno.

P. S. P. Q. P. Pro se, proque patriâ.

Q. A. Quæstor Ædilis.

R. G. C. Rei gerundæ causâ.

S. P. Q. S. Sibi posterisque suis.

TR. PL. DESS. Tribuni plebis designati.

X. EROG. Decimæ Erogator.

§. 23. Adde his compendiis s. vulgò *Abbreviaturis* miros illos & figuratos characterum ductus, quibus alii atque alii numeri olim exprimebantur. ex. gr.

ⴱⴱⴱ↑. V. Triamillia sexcentos Victoriatos.

ⴱ. Mille. &c &c. &c.

§. 24. Huc quoque spectare videtur *Steganographia* veterum Romanorum,

rum, ſub qua arcana epiſtolarum contenta occultari ſolebant.

Inſcriptionum uſus.

§. 25. Romanorum inſcriptiones eundem *uſum* habent, quem numiſmata antiqua. Inſerviunt nimirum

I. Hiſtoriæ.
II. Geographiæ.
III. Genealogiæ.
IV. Literaturæ, id eſt.
1. Orthographiæ,
2. Grammaticæ &
3. Vocabulorum ſcientiæ.
V. Variorumque rituum cognitioni.

CAP. VII.

De Menſuris & Ponderibus.

§. I.

MEnſuræ Romanorum *triplices*: nam fuerunt.

A. vel rerum liquidarum: ut *aquæ, vini*, &c.

B. vel

B. vel rerum aridarum: ut *salis*, *frumenti*, *&c.*

C. vel intervallorum: ut *longitudinum*, *latitudinum &c.*

§. 2. Mensuræ *rerum liquidarum* erant

I. MAJORES: ut
Culeus.
Amphora.
Urna.
Congius.

II. MINORES: ut
Sextarius.
Hemina.
Quartarius.
Acetabulum.
Cyathus.
Ligula.
Libra mensuralis.

§. 3. Mensuræ *rerum aridarum* erant.

Modius.

Semi-

1	2	3	1
1	2		

Semimodius.
Sextarius.
Libra:
Hemina.
Quartarius.
Acetabulum.
Cyathus.
Ligula.

§. 4. Mensuræ *intervallorum*, quæ iterum

MAJORES, ut;
Gradus.
Passus.
Decempeda.
Stadium.
Milliare.

MINORES, ut:
Digitus.
Uncia.
Palmus.
Pes.
Palmipes &
Cubitus.

cum

cum suis quibuscunque partibus, & subdivisionibus.

§. 5. Huc accersenda sunt quædam *vocabula* scriptoribus rei rusticæ ex. gr. Catoni, Columellæ, Varroni &c. in mensuris *intervallorum* usitata; modi enim, quibus metiebantur rura, alii atque alii recensentur, ut:

Actus.
Clima.
Jugerum.
Porca.
Centuria &c.

Pondera Romana.

§. 6. Pondera Romana, quibus rerum gravitas explorabatur, fuerunt

LIBRA,
UNCIA.
DENARIUS &
VICTORIATUS.

Libra.

§. 7. *Libra* seu *Pondo* dividi solebat in partes PAR-

PARTIM ÆQUALES, ut in
Uncias duodecim,
Sescuncias octo,
Sextantes sex,
Quadrantes quatuor,
Trientes tres,
Semisses duos:

PARTIM INÆQUALES, ut in
Unciam & Deuncem,
Sextantem & dextantem.
Quadrantem & Dodrantem,
Trientem & Bessem,
Quincuncem & Septuncem.

Uncia:

§. 8. *Uncia* ab *uno* dicta, *libræ* erat pars *duodecima*, varièque ab auctoribus dividitur.

Ima. unciæ divisio est
In duas *semuncias.*

IIda. unciæ divisio est
In duos *stateres*: stater autem habet duo *didrachma.*

IIItia

IIItia divisio unciæ est

In tres *duellas*, quæ vocantur *bina sextulæ*. Estque duella tertia pars *unciæ*.

IVta unciæ divisio fit

In quatuor *sicilicos* i. e. quatuor *quartas*: est verò sicilicus duarum drachmarum.

Vta unciæ divisio est

In sex *sextulas* i. e. in sex partes.

VIta unciæ divisio fit.

In septem *denarios*.

VIIta unciæ divisio est

In octo *drachmas Atticas*.

VIIIva unciæ divisio fit

In duodecim duodecimas, quæ singulæ partes vocantur *dimidiæ sextulæ*.

IXna unciæ divisio constituit

Quatuor & viginti *scrupula*.

Denarius.

§. 9. Denarius, *unciæ septima* pars esse, asseritur.

§. 10 *Denarius* iterum secatur
Imò. in duos *victoriatos*.
IIdò. in sex *sextantes*.
IIItiò. in *duodecim* partes, ut As.
IVtò. in quatuor *quadrantes*.
Vtò. in tres *trientes*.

Victoriatus.

§. 11. Victoriatus idem est cum quinario à quinis assibus ita dictus.

CAP. VIII.

De educatione & studiis Romanorum.

§. 1.

ROmanis in usu fuit literarum *studia* cum *armis* conjungere.

§. 2. A primæ ætatis tempore *Græcis* imbuebantur literis.

§. 3. Hanc linguam tum temporis custodem omnis melioris doctrinæ ut probè discerent, sæpius *parvuli* in *Græciam* seu coloniam *Græcam* mittebantur.

§. 4. Duce hac lingua *eloquentiæ* studio

ſtudio præcipuè incumbebant, quia
in curia,
apud populum,
in foro apud Judices
omnia ferè agebantur *orationibus*.

§. 5. Ut *eloquentiam* ſinè ullo impedimento exercere poſſent, præter *Græcarum literarum* notitiam etiam opus erat *Philoſophia* & *Juriſprudentia*.

§. 6. Maxime denique eloquentiæ, ſtudioſis commendabant *lectionem Hiſtoricorum Græcorum*, utpote qui magnum & rerum & exemplorum, & variorum caſuum apparatum oratorium ſuppeditare valerent.

§. 7. A TOGA VIRILI, quam plerumque XVII. ætatis anno accipiebant, in *bellum* mittendi erant Romanorum filii, etiam NB. illi, qui non cupiebant ad militares dignitates eniti, ne poſtea Procōſules aut Proprætores &c. facti, militibus eſſent contemptui, quaſi nulla unquam caſtra vidiſſent. §. 8.

§. 8. Neque inter arma *ſtudia* planè ceſſabant, ſed ibidem Duci cuidam commendati filii diſcebant exemplo & contubernio, quàm bene cum Marte artes & ſtudia convenirent.

§. 9. Domum regreſſi ex militiâ *eloquentiæ* iterum ſtudebant, ſi nempe caſtra ſequi animus non eſſet.

§. 10. Deinde ad *publicos honores* aſcendere laborabant, & ſæpius à *Quæſtura* ad ſummam uſque dignitatem *Conſulatûs* perveniebant.

§. 11. Hæc in Urbe Roma: nec tamen in provinciis R. *ſtudia* minus fuerunt exculta, cum omnes ſanioris mentis ſcirent, ſinè *ſtudiorum* culturâ provinciam ægrè ſervari poſſe.

§. 12. Atque adeò inter Romanos nemo exſtitit, qui non æquè *armis* ac literarum *ſtudiis* fuerit exercitatus. Id quod inter alia illuſtria exempla ex C. Julio Cæſare abundè patet.

§. 13.

§. 13. Præterea teſtantur hujus rei veritatem

I. Tum præclara illa *bella* & *prælia* à Romanis geſtà atque commiſſa.

II. Cum inſignes illæ *bibliothecæ* de omni ſcientiarum genere in republ. Romanâ erectæ.

§. 14. De bellis & præliis Rom. vide *Part. II. Sect. III. CAP. XI. pag. 140. & ſeqq.*

§. 15. Quantum ſpectat ad Romanorum rem *librariam*, ea omnis antiquiſſimis temporibus conſiſtebat

1.) tum in *carminibus* quibusdam, quæ in diebus feſtis, vel etiam in conviviis decantabantur.

2.) tum *clavo annali* in parietibus ſacrarum ædium fixo;

3. tum maximè in *funebribus laudationibus*,

§. 16. Quam primum autem elegantior ſtudiorum cultura magis magisque

gìsque invaluit, multaque uberioribus literarum monimentis diligenter tradita, res etiam Romanorum *librariæ seu bibliothecaria* facta fuit amplior.

§ 17. Nec mirandum, quòd studium rei *bibliothecariæ* tanta senserit augmenta: ex devictis enim gentibus non solùm Dii, Deæque, sed etiam *libros* in urbem afferebantur. Quemadmodum nota sunt exempla

Æmili Pauli & Luculli,

ut &

Cornelii Sullæ seu Syllæ,

ille ex Macedonicâ Ponticâque præda, hic ex captis à se Athenis eximios *librorum* thesauros advexit.

§. 18. Hinc *Bibliothecæ* plurimæ fuerunt erectæ, quarum

ALIÆ PRIVATÆ,

ALIÆ PUBLICÆ.

Bibliotheca privata.

§. 19. Inter eos, qui *privatim* par-

tim usûs, partim famæ gratiâ *bibliothecas* erexerunt, sunt

Varro,
Cicero,
Atticus,
Plinius Junior,
Epaphroditus,
Tyrannion Amisenus,
Q. Serenus Sammonicus,
Aliique plures;

imò nec ipsa prætoria seu villæ, thermæ & balnea apparatu librariô apud Romanos destituebantur.

Bibliothecæ publicæ.

§. 20. Solus *P. Victor* singularibus urbis Romæ suo jam tempore annumerat *bibliothecas publicas unde triginta.*

§. 21. Notissimæ autem inter publicas Bibliothecæ fuerunt

Asinii Pollionis } Bibliotheca.
Augusti Octavia }
& Palatina

&

Tiberii in regione *Palatii*, quâ *viam* spectabat sacram,	Bibliotheca.
Vespasiani,	
Trajani,	
Capitolina,	
Tiburtina,	

§. 21. Atque hi fere fuere *publici rei librariæ* Romanæ apparatus, præcipuè ab U. C. ad Secul. usque III. post Christ. natum, quæ ad memoriam nostræ ætatis pervenerunt. Tantum de *progressu* statûs Oeconomici: nunc ipsi⁹ modò dicti statûs sequitur *Exitus*.

III. MEMBRUM, DE Exitu statûs Oeconomici antiqui.

PRÆMONITA.

TRactatus de EXITU *statûs Oeconomici* seu de FUNERE, quod

postremum humani dramatis actum, nempe *mortem* ipsam excipit, reducendus ad sequentia quinque capita, quorum aget

CAP. I. DE RITIBUS, QUI PROXIME SEQUEBANTUR MORTEM.
CAP. II. DE IPSIS EXSEQUIIS ET POMPA FUNEBRI
CAP. III. DE SEPULTURA ET COMBUSTIONE
CAP. IV. DE CONSECRATIONE *seu* APOTHEOSI
CAP. V. DE MORTIBUS ILLUSTRIUM

} ROMANORUM VETERUM.

CAP. I.

De ritibus, qui mortem proximè sequebantur.

I. Ritus.

Jamjam morituri *spiritum* affines & co-

cognati præſentes *ore* excipiebant.

II. Ritus.

Ab iisdem *oculi* defuncti claudebantur.

III. Ritus.

Fiebat *conclamatio*, quâ ter vel quater per certa intervalla demortuum corpus inclamabant.

IV. Ritus.

Conclamationem hanc excipiebat ritus *abluendi* & *ungendi* cadaver. *Ablutio* quidem facta à propinquis aquâ calida; *unctio* autem unguentis à Pollinctore, qui ex Libitinarii erat familia.

V. Ritus.

Rite ablutum unctumque corpus *veſte*, quæ defuncti, dum vixerat in ordine ſuo *honeſtiſſima*, induebant; *togâ* ſcilicet *albâ*, ſi plebejus, *prætextâ*, ſi Magiſtratus, &c.

VI. Ritus.

Posteà cadaver, cujus ori *quadrantem* Charonti pro naulo pendendum indiderant, *ad januam pedibus & facie in publicum versis* collocabatur, cui (scil. cadaveri) apponendus erat *custos.*

VII. Ritus.

Intereà temporis *cupressus* funebris Diti sacra ante ædes defuncti (NB. *ditioris* plerumque) posita videbatur.

VIII. Ritus.

Mortuo, priusquam efferretur, *digitus* abscindebatur.

Tantum de ritibus, qui mortem proximè sequebantur.

CAP. II.

De ipsis exsequiis seu pompâ funebri.

§. 1.

POstquam omnis, qui ad *funus* opus, apparatus factus, *die*, (ut saltèm verisimile) *octavô*, populus ad honestandas *exsequias* convocabatur.

§. 2.

§. 2. *Convocatio* talis fieri solebat per *præconem* his verbis: *Exsequias* (ex. gr.) *L. Titio L. F. quibus est ire commodum, jam tempus est: Ollus effertur.*

§. 3. Hac convocatione & ultima *conclamatione* peractâ cadaver, si divitis vel summi, in *lecto* pretiose stragularum ornatu constrato *à propinquis seu viris honestissimis* efferebatur: si autem pauperis vel tenuioris fortunæ funus, cadaver in *Sandapila* per *Vespillones* exportabatur.

§. 4. Tum omnis *pompa funebris* procedebat

Tibicine seu Siticine
Præficis &
Interdum *servis* ex testamento manumissis pileatis præeuntibus.

§. 5. Propinqui, affines, filii, filiæ, amici, &c. *lectum* demortui *sequebantur* vestitu lugubri i. e. *ornamentis positis,*

tis, capillô demissô, in veste pulla seu *atra*, præter mulieres, quæ *albas* in luctu gerebant vestes. &c.

§. 6. Moris quoque fuit, in quorundam pompa funebri adhibere *honorum insignia*, quæ defunctus in vitæ suæ curriculo gesserat, ex. gr.

Fasces.
Secures.
Arma.
Dona militaria.
Spolia hostium.
Majorum imagines &c.

§. 7. Quod si funus esset *personæ illustris*, & de republ. bene meritæ, in forum deferri solebat, ubi

vel *à filio*, si quis adultus,
vel *à propinquo*,

Laudatio funebris seu *Oratio parentalis* pro rostris habebatur

§. 8. Inde funus ad *sepulcrum*, aut ad *rogum* pergebat.

CAP.

CAP. III.

De Sepulturâ & Combustione.

§. 1.

CAdaver defuncti vel *sepeliendum*, vel *cremandum*.

§. 2. Priscô Romanorum ævô *sepultura* fuit in usu, sed florente maximè reipubl. Romanæ statu, ad extrema usque Antoninorum tempora cadavera honestiorum *in rogo cremârunt*: posteà denique sepulturâ iterum usi sunt. Quamobrem dicendum

I. DE SEPULTURA & II. DE COMBUSTIONE } mortuorum.

§. 3. Augurum vel Sacerdotum erat, *sepulcri* locum designare.

§. 4. Olim quidem in *domo* quemque sua sepeliri usus fuit, deinde autem more Atheniensium prohibitum, *neminem in urbe* sepelire, quod tamen

Vestalibus, Et

Imperatoribus,

Et nonnullis aliis virtutis ergò iicitum.

§. 5. Ideò *intra urbem* fuerunt insignia reperta *sepulcra*, ex. gr.

Sepulcrum *Scipionis Africani.*

- - *Augusti Cæsaris.*

- - *Cestii.*

- - *Hadriani.*

- - *Severi. &c.*

§. 6. Reliqui Romanorum vel privatim in *agris suis*; vel in *viis*, quò viatores transeuntes etiam titulum & memoriam defunctorum conservarent, tumulos suos habebant.

§. 7. Tales viæ erant præ aliis:

FLAMINIA.
SALARIA.
TIBURTINA.
PRÆNESTINA.
LAVICANA.
CAMPANA.
LATINA.

AP-

APPIA.
LAURENTINA.
OSTIENSIS.
AURELIA.

§. 8. Sepulcris addimus ſplendida illa ornamenta, quibus interdum ad ſtuporem usque apparebant conſpicua. Talia enim fuerunt

I. *Moles pyramidales.*

II, *Varia rerum ſimulacra exſculpta*, ex. gr.

A. Ludorum curulium,
B. Equeſtrium certaminum,
C. Pugnarum,
D. Triumphorum,
E. Deorum ludentium,
F. Ventorum,
G. Laborum Herculis,
H. Suppliciorum ſervilium,
I. Ædificiorum, &c. &c.

III. *Lucernæ* ſeu *lampades*, quarum quasdam perpetuò arſiſſe, compertum.

Mortuorum combustio.

§. 9. Ritus *combustionis* præcipui fuerunt sequentes.

A. *Pyra* in formam aræ ex larice, picea, taxo, aliisque lignis flammas facilè concipientibus exstruebatur. NB. *Pyra* jam ardens dicebatur *rogus*, *rogus* autem igni planè consumtus *bustum*.


B. Cadaver defuncti in *lecto* cum aromatum odoribus, aliisque pretiosis sibi charis *pyræ* illi imponebatur.

C. Tum post repetitam postremam conclamationem aliquis proximè agnatorum averso vultu *pyram incendebat*.

D. Cadaver dum cremaretur, *sanguis humanus*, aut captivorum & servorum, aut gladiatorum, ante ipsum rogum interdum effun-

effundebatur. NB. Deficiente autem illorũ copiâ, *præficæ* ſuas laniando genas cruorem eliciebant.

Æ. Crematô cadavere, quæ reliqua erant *oſſicula & cineres*, URNÆ indita. Ut autem ſciamus, quomodo cineres cadaveris à cineribus lignorum, aliorumque in pyram conjectorũ, dignoſci potuerint, inſpiciẽda ſubjecta *figur.*



F. Quò, qui cadaveris combuſtioni interfuerant, *ritè luſtrarentur*, aquâ purâ à ſacerdote aſpergebantur.

G. URNA, cui inſcribebantur *titulus* & *votum*; (UT. TERRA. MORTUO. LEVIS. ESSET.) inferebatur ſepulcro vel monumento, ante quod erat conſtituta *ara*, odoribus incendendis inſerviens.

H. Diſceſſuri ultimum VALE mortuo acclamabant dicentes: *Vale! vale! vale! nos te ordine, quô natura permiſerit, ſequemur.*

I. Poſtremò *præfica*, vel alius quidam, omnes, qui funus comitati fuerant *dimittebat* altâ voce pronuncians; ILICET. i. e. *ire licet.*

K. Denique peractis ad ſepulcrum

juſtis

justis amici cum cognatis domum reversi *convivio*, (quod vocabant *silicernium*) excipiebanrur.

L. In funere illustri quandoque *ludi funebres* (Part. II. Sect. II. Cap. VII. de Ludis §. 11.) præsertim *gladiatorii* in honorem defuncti edebantur.

M. Præter hos ludos interdum populo dabatur

aut EPULUM,

aut VISCERATIO.

§. 10. Hæc fere sunt, quæ tum ad *sepulturam*, cùm ad *combustionem* Romanorum pertinent.

CAP. IV.

De Consecratione seu Apotheosi.

§. 1.

Consecratio seu *Apotheosis*, quam nos adjicimus *funeri* Romano-

rum,

rum, est genus quoddam honoris insignis, quô

I. IMPERATORES,

II. AUGUSTAS FOEMINAS: ex gr. Uxores, Matres & Sorores Principum,

post mortem in numerum Deorum Dearumque relatos & relatas DIVOS DIVASque appellabant.

§. 2. Hunc *consecrationis* ritum *Herodianus Lib. 4. Cap. 2.* prolixè describit. Nos brevibus solummodo præcipua *ejusdem ritûs* capita attingemus.

I. Imperatore seu Principe, qui superstitem reliquerat successorem, mortuo, corpus sumtuosis & consuetis *Exsequiis* honestabant.

II. Nam *cerea* consecrandi Principis *imago* in palatii vestibulo *lectô eburneô* maximô, vestibus aureis instrato imposita septem per dies omnium oculis patere debebat.

III. De-

III. Deinde lectum Lectiſſimi Juvenes *Senatorii & Equeſtris* ordinis in forum vetus ferebant, dum interea alii hymnos accinerent.

IV. Succeſſor ſuperſtes ibidem in foro *roſtra* conſcendens, defunctum Imperatorem laudibus condignis extollebat.

V. Quibus peractis, inde præmemorata imago cerea in CAMPUM MARTIUM ferebatur, ubi eadem *pyræ* ſingulari ratione exſtructæ imponenda.

VI. Tum univerſo ſpectante Senatu *ludi equeſtres* circa pyram illam adornabantur.

VII. His celebratis *facem* admovebat Imperii ſucceſſor, quem omnes Magiſtratus *ignem* undique ſubiicientes ſequebantur.

VIII. Mox quadam ex *cellula rogi* emittebatur AQUILA, quæ Principis

pis *animam* in cœlum deferre vulgò credebatur.

IX. Ex eo itaque tempore *consecratis Principibus* templa exstructa, Flamines constituti, &c. licèt id omne (ut verum fatear) non semper ex sincera devotione, sed sæpius aliis ex causis politicis fieret. *Vid. Plin. Paneg.* c. XI.

§. 3. Atque hæc de *Consecratione* seu *Apotheosi* breviter dixisse sufficiant.

CAP. V.

De mortibus quorundam Romanorum illustrium.

§. 1.

NEc abs re, nec injucundum fuerit, si ultimô locô addiderimus MORTES quorundam illustrium inter Romanos; utpote quæ multum inservire videantur antiquitatum R. studiosis in cognoscendâ *historiâ* Romanâ antiquâ.

§. 2. *Series*, quam jam alii ante nos

An-

Antiquarii in his mortibus recensendis observârunt, *octo* sub se comprehendet *classes*, quarum agit

I. CLASSIS.

De mortibus Illustrium Romanorum ab U. C. ad *Reges expulsos.*

II. CLASSIS.

De mortibus Illustrium Romanorum à Regibus expulsis, ad usque *bella Punica.*

III. CLASSIS.

De mortibus Illustrium Romanorum à bello Punico primo, ad *Gracchorum seditiones.*

IV. CLASSIS.

De mortibus Illustrium Romanorum, à Gracchorum seditionibus, ad *bellum civile Marii & Syllæ.*

V. CLASSIS.

De mortibus Illustrium Romanorum, à bello Civili Marii & Syllæ, usque ad *bellum Pompeji & Cæsaris.*

CLAS-

GENERALIOR UNIVERSI BREVIARII ANTIQUITATUM ROM. TYPUS.

Caput. *Pagina.*

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

De antiquô Romanorum statu Militari.

SECTIO QUARTA.

I. MEMBRUM.

II. MEMBRUM.

VI. De

Errata Typographica.

Pag. 35. lege Cap. III. pro Cap. II.

Pag. 36. post hac verba: Edicta & responsa Prudentum *adde*: 6. Prætorum edicta.

Pag. 42. Cap. IV. pro Cap: III.

Pag 50. Cap. V. pro Cap. IV.

Pag. 53. Cap. VI. pro Cap. IV.

Pag. 67. Cap. VII. pro Cap. VI.

Pag. 200. ferè in fine suppostititiorum *pro* suppositiorum.

Pag. 212. ferè in medio VIIma. *pro* VIIta.

Plura si L. C. præter mentem inveneris errata, ipse benevolè corrigas, rogo.

Bericht an den Buchbinder.

Tabula *Collatorum numismatum* ad pag. 192.

Delineatio *pedis Romani* ad pag. 209.